ſi a ſuperioribus facere jubeamur; ſed bonum, quod vellemus, faciendum non eſt, ſi illis prohibeamur. Si ſuperioribus malum imperantibus obediremus, cæcus tunc duceretur a cæco, & Deo obedientiam negaremus, ut homini pareremus. Apoſtoli coram Synagogæ principibus generoſe affirmarunt, ac probaverunt, oppoſitum efficiendum eſſe; & anathemate percutiendus eſſet Angelus qui aliud prædicaret evangelium. Deus, inquit Scriptura, impiis accenſebit eos, qui inanes prætexendo obligationes ſe excuſant. Verum enim vero ſi rebellio eſt obedire, ut malum facies, non obedientia: & ſi Dei mandata infringere eſt, malum imperanti obedire; aliter ſentiendum eſt de inferiore, qui ab eo abſtinet bono, quod a ſuperiore facere prohibetur: tunc enim ideo bonum opus relinquitur, ut melius fiat; & qui hoc pacto a bono abſtinet opere, duplicem meretur mercedem; acquirit enim obedientiæ meritum, quin illud boni operis ſibi propoſiti amittat. *Idem*.

De obediendi neceſſitate.

Non deſunt virtutes, quarum praxis nitet; nec deſunt aliæ obſcuriores, & quæ ſine ullo nitore exercentur, qualis eſt obedientia, quæ ſignum eſt ſubmiſſionis, cujus homo inimicus eſt, & quæ repugnat libertati, cujus eſt amator. Dicere nihilominus poſſumus, nihil magis neceſſarium eſſe, nihilque vulgatius, quam hæc inferioris ad ſuperiorem relatio. Alii obediunt præ metu, ideoque ſervorum inſtar; alii propter ſpem, ideoque inſtar politicorum; alii propter virtutem, ideoque inſtar fidelium. Verum eſt, permittere ſæpe Deum, ut infirmi, ignari, vel furentes imperent aliis. Quod ſi natura magnam eſſe oſtendit, præpoſteramque perturbationem, quod tales præficiantur, reſpondebimus, malum adhuc majus eſſe, cum ratio, ira, aliiſque affectionibus ſuperatur, cum obedire malumus tamquam jumenta, quam veluti homines; cum placet potius noſmet politicorum more, quam fidelium ſubmittere. Quamobrem ſi pro nobis malum eſt de nobiſmetipſis non amplius diſponere, multo magis metuendum nobis eſt, ne avaritia de corde, & vis de ſpiritu diſponat: quid enim proderit bruta docere animantia, ut homini obediant, & ſimul rationem noſtram brutorum affectionibus ſubmittere? *Liber, qui inſcribitur;* La Conduite du Sage. *Tom.* I.

Quam noceat ſaluti inobedientia, & propria volũtas.

Nihil eſt ſaluti magis oppoſitum, & quod Chriſtianum divina gratia magis indignum efficiat, quam velle ſui ipſius ductorem eſſe, & ſecundum ſuum ſpiritum vivere; in hoc enim ſuperbiæ ſpiritus conſiſtit, quem tamquam gloriæ ſuæ ruinam, omniumque malorum originem Deus odit, & execratur. Hic autem ſpiritus potiſſimum oritur ex propriæ ſapientiæ exiſtimatione, cum homo ſe ſatis fortem exiſtimat, ac parem ſemetipſum regundo, quin alieno indigeat auxilio, atque fallaci hac ductus perſuaſione ſibi regulas, ac placita divinis prorſus oppoſita effingit. Ad hanc igitur inſolentem humani ſpiritus vanitatem infringendam, & mundanam hanc ſapientiam, quæ divinæ ordinem conatur evertere, confundendam, Dei filius in Incarnatione ſua, reliquoque vitæ ſuæ ſpatio perfectiſſimæ obedientiæ proponere nobis voluit exemplum. *Moralis Chriſtiana in* Pater, *lib.* 5. *ſect.* 1. *art.* 5.

Deus ſubmiſſioné ubique eſſe voluit.

Primum, quod ab iis, qui chriſtianam religionem profitentur, expetat Deus, fides eſt, quæ, ut vera dicam, non aliud eſt quam propriæ mentis captivitas propria abnegantis lumina, ut cæce eas credat veritates, quas comprehendere nequit, veluti certiſſimas, atque ab omni dubitatione remotas propter ſolam revelationem, quam Dei nomine illi aperuit Eccleſia: quod S. Paulus appellat mentes omnes in ſervitutem redigere, ut eas Jeſu Chriſti obedientiæ ſubmittat. Hac eadem de cauſa ille in eccleſia ſua quamdam conſtituit Hierarchiam, videlicet Paſtorum ſubordinationem, quorum alios aliis parere vult, imperans, ut homines nonniſi legitimorum ſuperiorum interceſſione recipiant eam poteſtatem, & lumina, quæ illis ſunt neceſſaria. Ita Deus præcipuos mortales, reges etiam, & principes, nec non eruditiſſimos rexit philoſophos cum illos ad fidem pertrahere, & omnipotenti gratia ſua convertere voluit. Illos per obedientiam humiliavit; fregit illis eam ſpiritus vim, de qua gloriabantur, & ſuperbam illam contrivit ſapientiam, qua intumeſcebant, atque in oculis ſuis adeo attollebantur, ut tamquam pueri ſeſe ſubmitterent ſuperiorum eccleſiaſticorum regimini, quibus, non ſecus ac alii, obedientiam debent adhibere.

De religioſa obedientia.

Ambigi nequit, quominus illi, qui ut felicitatem obtineant rebus in omnibus divinam ſequendi voluntatem, voverunt obedientiam ſe illis adhibituros, qui palam Dei locum tenent, hac in re aliis præſtent; quia non ſolum norunt, quid ab ipſis expectet Deus in iis, quæ maximi momenti ſunt; verum etiam jugiter ſciunt, quid velit Deus in ſingulis actionibus eorum, atque ut perfectiſſimam ducant vitam, ſatis eſt, ſi quod faciunt, hac mente faciant obediendi Deo, illud ab ipſis fieri jubenti. Tintinnabulum, quod ſtatis temporibus pulſatur, vox eſt cœleſtis, quæ illis edicit, quid placeat Deo, & quid tunc temporis fieri velit: & licet palam illis appareret Angelus, a quo, quid facto opus eſſet, edocerentur, non ideo tamen æque certi eſſent, ut hoc modo ſunt, qui nulli obnoxius eſt illuſioni. Nonne hæc aptiſſima via eſt facile ad altiſſimum virtutis gradum perveniendi? *P. Guilleminote in Sapientia Chriſt. cap.* 8. *verſ.* 2.

Quomodo imitari poſſit religioſorum obedientiam.

Obedientiæ meritum cogitantes nobiſmetipſis dicamus: quam cæcus ſum, qui tantum amo libertatem & qui obedientiæ jugum adeo grave eſſe puto; qui omnem infringere conor ſervitutem! Quam nequam eſt, nulli ſeſe ſubmittere velle, nulla in re velle cogi, ac indeſinenter in murmur erumpere, ubi aliquid fuerit imperatum! Millies beati religioſi, quorum vita jugis eſt hujus virtutis exercitatio! Quanta felicitas eſt dicere poſſe, ne unum quidem ex libidine greſſum proferri, cum omnia vel a regula, vel ſuperioribus ſingillatim præſcripta ſint! Sed cur alii, quantum fieri poteſt, eos non imitabuntur? Quantum mereretur uxor, quæ obedientiæ ſpiritu viri ſui voluntatibus ſeſe ſubmitteret, atque in iis etiam rebus, quæ nullo in diſcrimine habentur, omnia ad illius nutum faceret; & in iis quoque, quæ bona ſunt, nihil contra ejuſdem imperium aggrederetur, quandoquidem illi a Deo ſubdita fuit! Filius, qui parentibus morem gereret, famulus, qui Domino, dominæque, & omnia mortalium genera directori in iis, quæ ad conſcientiam pertinent, obſequerentur! Hoc ſi deſit, nulla virtus perfecta eſt, nulla perſeverantia in virtute licet mediocri, illuſiones, tumultus, ſollicitudines ſine fine; cum interim qui ſubditus eſt, non ſolum malum non facit, ſed bonum, imo tale bonum, ut nihil melius fieri queat. *P. de la Colombiere tom.* 4. *Medit.* 5. *de Paſſione Domini.*

Superioribus obediendũ eſt in ſpiritu amoris, & charitatis.

Hoc obedientiæ genus, de quo modo locuti ſumus, illud eſt, quod toties nobis tamquam charitatis effectum Scriptura commendat. Non enim eſt, uti S. Bonaventura animadvertit, coacta obedientia, qualis ſervorum eſt, lucrum duntaxat ſpectantium: obedientia libera eſt, & filialis, ut illa, de qua loquitur Eccleſiaſticus cap. 3. ubi ait: *Filii Sapientiæ, eccleſia juſtorum, & natio illorum obedientia & dilectio.* Quamobrem intereſt primum conſiderare, Deum, cum ſit omnium dominorum primus, a nobis quoque ante cætera, & ſuper cætera diligendum eſſe, prout amoris præceptum, quod reliquis omnibus præmittere voluit, nos cogit. Ex hoc autem amore oritur illa, quo complecti debemus ſuperiores noſtros, & eos omnes, quos elegit Deus, ut ipſius vices gerendo nos regerent ..... Ubi cum S. Ambroſio *l. de offic. cap.* 7. & 8. animadvertendum eſt, licet ſuperiori nihil prætermittendum ſit, ut inferiorum ſibi benevolentiam conciliet, & hæc optima ſit ratio obſequii promerendi; inferioribus tamen ſemper durum licet, moroſumque ſuperiorem eſſe diligendum ea tantum de cauſa, quia Dei locum tenet. *P. a Ponte in Duce Spir. tom.* 2. *cap.* 9. §. 4.

Ut obediamus quemadmodũ oportet, amãdum eſt, quod nobis imperatur.

Quicumque obedit, uti opus eſt, amat id, quod ſibi imperatur, illudque amplectitur, tamquam viam ſibi ad ſalutem, perfectionemque propoſitam. Idcirco hoc modo amandæ ſunt nobis omnes proprii ſtatus, muneriſque regulæ, & generatim omnis ſuperiorum noſtrorum edicta; ideoque eæ nobis quærendæ ſunt cauſæ, quibus ad eorum amorem poſſumus impelli. Ea, quæ nobis imperari poſſunt, duplici ſunt in diſcrimine; alia quidem nobis placent, quia vel commoda nobis accidunt, vel decora: in his nullis indigemus rationibus, quibus ad eorum amorem excitemur; obedientia enim non magnis conatibus indiget, S. Gregorius ait, ubi nihil moleſtum offendit, & ſi obedientes id quærimus, quod nobis jucundum eſt, hæc vera obedientia non eſt, vel imperfectæ obedientiæ ſpecies eſt, in qua non mediocris pars eſt propriæ voluntatis: ſed in iis, quæ ſunt propriæ voluntati ſtudiis oppoſita, obedientia ſtudia hæc debet ſuperare. *Idem.*

De vera obedientia idem eſt, ac de fide.

Ita Aſceticæ vitæ magiſtri de obedientia loquuntur, quæ hac in re ſimilis eſt fidei, quæ humanis rationibus minime innititur, ſed unice verbo Dei, propter quod credimus. Et ſane qui obedire novit, ut religioſum, immo uti chriſtianum decet, humanas rationes non quærit, ſed ſolam Dei ſpectat voluntatem, cujus interpretes ſunt ſuperiores; ſi enim in hiſce humanis rationibus ſubſiſteret, politicam tantum, non autem chriſtianam haberet obedientiam. & ſi hujuſmodi conſiderationes in illo non eſſent, obedientia illius non alio ſuffulta fundamento corrueret. Ubi vero ſemel

mel animum ac perfectam obedientiam induxit, coram Deo inquirere poteſt rationes, quibus agatur ad celerius, alacriuſque adimplendam Domini voluntatem, & eorum imperia, quibus jus eſt præcipiendi: tunc enim rationes hujuſmodi obedientiæ meritum non imminuunt, non ſecus ac in fide, cum fidelibus rationes aliquæ proponuntur, non ut præcipuum fidei argumentum, ſed ut minori cum repugnantia obſcuriſſimas credant veritates a Deo in Scripturis revelatas. *Idem tomo* 2. *c.* 13. §. 2.

De cæca obedientia.

Perfecta hæc, de qua loquimur, obedientia, cæca appellatur; etenim ad obediendum non alios habet oculos, quam Dei, & miniſtrorum illius: ideoque Dei unius eſt videre, utrum quod præcipit, bonum, atque utile ſit. Chriſtianus, & religioſus, qui ad perfectionem adſpirat, judicium ſuum obedientiæ ſubmittere debet, ſine ullo examine Dei mandata capeſſere, adimplere quæcumque ab illius miniſtris imperantur, ubi nihil jubent, quod palam ſit malum, & in his omnibus nihil ſibi præter eamdem obedientia proponere. Præterea cæca iſta obedientia nequaquam conſiderat qualitates, perfectiones, talenta, virtutes illius, qui præcipit, in hoc unum tantum intuetur, quod videlicet ſuperior eſt, cui Deus ſuam credidit auctoritatem, & quem ille in locum ſuum conſtituit, ut ab eo regeremur. Cum enim a Deo hoc in munere fuerit conſtitutus, quod ſemper præſupponendum eſt, in perſona ejus Deus ſemper reſpiciendus eſt, & credendus per hunc regere, & imperare: & primus eſſe auctor rerum omnium, quæ jubemur, quin aliquid ultra quæramus, quin cogitemus, utrum qui nomine illius imperat, doctus ſit, an indoctus, mitis an ſeverus, probus, an nequam. *Idem ex parte.*

Obedientia reliquas omnes virtutes complectitur.

Supponendum eſt perfectam hanc humanæ voluntatis ſubmiſſionem, & hanc hominibus, qui illius nomine nobis imperant, obedientiam non tantum eſſe peculiarem aliquam virtutem, quantum plurium virtutum congeriem, quæ ſimul omnes conſentiunt, ut fideliter, quidquid Dominus imperavit, expleant. Fides, ſpes, charitas, humilitas, pietas, aliæque plures in perfectum hunc obedientiæ actum concurrunt; cumque rebus in omnibus obediendo præſto ſimus, fortitudo, temperantia, liberalitas cum illis conjunguntur in iis, quæ præcipiuntur, adimplendis, ita ut Sanctus Gregorius citra hyperbolem dicere potuerit, obedientiæ proprium eſſe omnes ſecum virtutes attrahere, eaſque in anima tueri; ſufficit enim conſtans propoſitum concepiſſe faciendi, quidquid Domino placuerit, ut ſtatim omnium virtutum exercitationi vacemus. *Id.*

Vivere in ſtatu obedientiæ eſt vivere ſecundam Deum.

Haud hæſitanter aſſerere poſſumus, quod vivere in ſtatu obedientiæ idem eſt ac vivere ſecundum Deum; hoc enim eſt facere voluntatem Dei: qui nihil præterea a nobis exigere poteſt, niſi ut ea, quæ jubet, quæque ſibi placent, efficiamus. Præcipua hujus veritatis ratio deſumitur ex Apoſtoli verbis ad Rom. 8. *Quicumque ſpiritu Dei aguntur: hi filii Dei ſunt.* At Dei ſpiritu ducitur, qui nihil ex ſeipſo, & propria facit voluntate; ſed illum in omnibus conſulit per eos, qui præſunt, & quos audire debemus. Ita enim S. Aug. in Pſ. 118. illa interpretatur; non qui ex proprio ſpiritu operantur, ſed qui Dei ſpiritu reguntur, hi ſunt filii Dei. Stoici, quorum hæc præcipua erat ſententia, ſapientem ſeipſum regere debere, vivere poterant quiſque ſecundum ſpiritum ſuum; ſed veri Chriſtiani, qui pertinent ad Deum, rebus in omnibus Dei, ac ſpiritus ejuſdem motum ſequuntur; cujus diſcriminis hæc ratio eſt, quod philoſophorum illorum ſpiritus erat ſuperbia, & vanagloria; ſpiritus vero Chriſtianorum humilitas eſt, cujus proprius character eſt ſubmiſſio, & obedientia. *Moralis in* Pater *lib.* 5. *ſect.* 1. *art.* 5.

Obedientiæ ſtatus magnum eſt religioſis ſolatium.

Magnæ conſolationis argumentum eſt illis potiſſimum, quorum vita ſtatus eſt obedientiæ, quales religioſi ſunt, quorum actiones omnes fere determinatæ ſunt vel a regula, quæ eſt veluti inanimatus ſuperior, vel ab eo, qui auctoritatem in illos obtinet, & eſt veluti regula vivens. Deus reipſa peculiarem elargitur protectionem obedientibus, qui eo in loco ſunt, in quo Deus ipſos conſtituit; & S. Joannes Climacus merito inquit, obedientiam tutam eſſe navigationem, ac iter, quod a dormientibus, & ſine periculo abſolvitur; ſufficit enim ſeſe credere nautæ ad gubernaculum ſedenti; tunc enim certiſſime pervenitur in portum. Hæc etiam extremo judicii die pro hominibus, qui ſeſe Dei ſervitio devoverunt, reſpondebit, eritque eorum apud ſupremum judicem juſtificatio. *Idem.*

Perfectæ obedientiæ bona.

Quam prudens eſt cæcæ obedientiæ ſimplicitas, Sanctus Bernardus exclamat, quandoquidem per cæcitatem ſuam nos ſemper ad beatum finem adducit! Prudentia magna quidem eſt virtus, ſed difficile comparanda, & obedientia prudentia eſt æque tuta, & facilis. Apud nos infinitæ locum habet ſapientiæ, quæ tunc nobis ſua lumina impertit, cum nos illi noſtra ſacrificamus. Sed ut ſapiens religioſus evadat, abneget, ut ita dicam, opus eſt ſapientiam, & omnis illius prudentia ſit nullum habere earum rerum, quæ ſibi imperantur, diſcrimen. Ita obedientia mors eſt voluntaria, vita ab omni curioſitate vacua, tutaque ab omni periculo ſecuritas. Perfectus obediens, qui ſimul, & mortuus, & vivens poteſt appellari, tunc ſolum dolet cum aliqua in occaſione facit, quod vult; adeo metuit grave hoc propriæ voluntatis pondus. *P. Dezenne jam memoratus.*

Superior debet pro virili obedientiæ jugum imminuere.

Superior quantum in ipſo eſt debet adniti, ut inferioribus ſuis obedientiam reddat ſuaviorem; pietate ſtudens in illos attrahere gratias Dei, cujus locum tenet; exemplo, illis in rebus omnibus præeundo non ſecus ac bonus Paſtor, cui Jeſus Chriſtus comparatur; communi charitate, ab omnibus privatis neceſſitudinibus aliena: charitas enim confidentiam inſpirat, quam peculiares evertunt neceſſitudines: æquali vivendi ratione, omni affectu vacua, aliorum imbecillitates, defectuſque quatenus prudentia permittit, perferendo, vel cum corrigere opus eſt conſtantiæ lenitatem miſcendo. *Id.*

Religioſæ obedientiæ natura, & perfectio.

Religioſa obedientia, obedientia eſt perfectionis, quæ efficit, ut noſm t voto etiam adſtrigamus obediendi propter amorem Dei illis, quibus naturaliter nullam debemus ſubmiſſionem, ex ſola cupiditate offerendi in ſacrificium Deo, quidquid nobis in mundo antiquius eſt; noſtram videlicet voluntatem, & libertatem, noſmet addicentes voluntati eorum, qui apud nos Dei obtinent locum. Hæc proprie religioſa eſt obedientia, quæ peculiari nomine obedientiæ virtus vocatur. Habet illa tres gradus, quorum primus, & minus perfectus in eo poſitus eſt, ut quæ ſuperior præceperit, omnia ad unguem integerrime perficiantur, quin aliquid prætermittatur, quod non excludit voluntatis renitentiam, & obtemperandi difficultatem. Gradus alter in eo conſiſtit, quod propria voluntas perfecte ſubmittatur ſuperioris voluntati, ita ut propriis abnegatis cupiditatibus, non alia niſi ſuperioris voluntas habeatur. Tertius denique in hoc poſitus eſt, quod proprium judicium, & lumina judicio, & luminibus ſuperioris ſubmittantur, quin inquirantur rationes & cauſæ, quibus ſuperior ad aliquid imperandum potuit adduci. *P. Nepveu in ſpirit. Chriſt. tract.* 3. *c.* 1.

Semper certi ſumus nos bene facere obediendo, cum nihil præcipitur, contra Deum.

Poteſt ſuperior ſine ratione nonnumquam mihi imperare; ſed ratio poſtulat, ut illi ſemper obediam. Quamvis parum æquus ſit imperans mihi, ego ſemper æquiſſimus ſum obtemperans illi. Obedientia quantumvis cæca videatur, ſemper eſt perſpicax, nonnumquam humanæ rationi videtur oppoſita, ſed tunc æquiſſima eſt, quia pro norma ſupremam habet rationem, Dei videlicet voluntatem. Quod ſuperioris peccatum efficit, cum aliqua animi ægritudine motus imperat, meum conſtituit meritum, quia charitas me ad obediendum impellit. Quam beata ſors eſt obedientis! ſemper certus ſe a Deo regi; metuere ne poteſt, ne bene regatur? *Idem in Chriſt. Conſiderat. tom.* 3.

Obedientia eſſe debet prompta.

Promptitudo proculdubio certiſſimus eſt, ac maxime manifeſtus hominis perfecte obedientis character. Et ſane quid aliud exiſtimari poſſet de hac animi celeritate ad omnia ſuperioris mandata capeſſenda, & quidquid ille imperaverit, alacriter adimplendum? Nonne hoc apertiſſimum eſt veræ obedientiæ argumentum? Quemadmodum enim tarditas in obedientia teſtis eſt, ægre, & gravate illam adhiberi, & externam dumtaxat obedientiæ ſpeciem adeſſe, nonne e contra fatendum eſt celeritatem illius veluti animam eſſe? Ita vulgo ſentiunt omnes; & hoc pacto oſtendimus, nullam nobis eſſe voluntatem, atque hac celeri alacritate, qua currimus, quocumque nos vocaverit obedientia, probamus, nos ab omnibus rebus eſſe prorſus avulſos; & quin aurem adhibeamus iis rebus, quæ nos morari poſſent, id unum quærere quomodo munere noſtro perfungamur. *P. Guillorè tractatu de illuſionibus.*

Perfectius obedit, qui natura ipſa repugnante obedit.

Ambigi nequit, quominus qui imperata faciunt, quantumvis interius aliquam experiantur repugnantiam veri ſint obedientes; cum enim de obedientia res eſt, aliquid ne fieri poteſt generoſius, & quod illius veritatem apertius oſtendat, quam hoc pacto obedire? Tunc liquet ex mero virtutis hujus amore fieri, ut præceptis pareamus. Num aliud certius afferri poteſt argumentum puritatis obedientiæ, perfectæque integritatis, quam ſi talis de ſeipſo victoria reportetur? Nonne hoc eſt cæcam ſubmiſſionem oſtendere? Hæc ipſa, quam experimur, repugnantia nonne eſſe debet tamquam regula, & lex, quæ nos ad alacrius obediendum impellat; quandoquidem hac ratione ſacrificium noſtrum perfectius efficimus, & victoriam, quam de nobiſmet reportamus reddimus inſigniorem. Non defuerunt Sancti, qui ſecreta hac uſi

ſunt repugnantia, ut certius Dei voluntatem cognoſcerent, conſiderantes in opere ſuſcepto nil propriæ voluntatis adeſſe. *Idem*.

Obedire non eſt ſuperiori voluntatem ad ſuam aſtu, vel alia qualibet ratione inclinare.

Non deſunt, qui ſe obedire glorientur, qui palam contra legitimam auctoritatem minime inſurgunt; ſed qui nihil intentatum relinquunt, ut ſibi imperetur, quod cupiunt, vel ab iis, quæ minime cupiunt, diſpenſentur. Sexcentas nectunt ambages, ut ad finem ſibi propoſitum perveniant; ipſi videri nolunt, quaſi de ipſis, negotiiſque ipſorum non ageretur: amicorum opera utuntur; potentes habent patronos; efficiunt, ut caſus incidant, propter quos id, quod petunt, obtineant, plurimas expediunt artes, ut votorum ſummam conſequantur, quæ omnia ſi minime ſuffecerint, ab importunis etiam precibus, & obſecrationibus non abſtinent &c. *Idem*.

Cum alacritate obediendum eſt.

Laudabile quoque eſt, alacri, hilarique animo imperata facere, quin ullus dolor vel præſeferatur, vel ſentiatur; hæc enim alacritas indicio eſt, id amari, quod præcipitur, atque toto animi affectu adimpleri; quæ ſane mentis affectio teſtatur, & ſuperiorem, & quæcumque ab eodem proveniunt adamari. Approbant, quidquid ſibi præcipitur; nullas nectunt moras, vel difficultates; & quod in obedientia maximi fit, omnia æque facientes ex animo, ſe perfecte indifferentes eſſe teſtantur; ita ut cum hæc hilaritas manifeſtum ſit ſubmiſſionis eorum, & amoris, quo obedientiam diligunt, argumentum, nihil ultra ab illis exigi queat. *Idem*.

Obedientia obedientem a damnationis periculo liberat.

Non modicum eſt obedientiæ bonum cogitare, per illam obedientes liberari ab omni damnationis periculo, atque ſalutis ſuæ quamdam certitudinem conſequi. Etenim præterquamquod hoc illi bonum accidit, eo quod Dei voluntatem adimplet; ſi in iis efficiendis, quæ a ſuperiore imperantur, aliquod lateret peccatum hoc vitio ſuperiori vertendum eſſet, non obtemperanti, qui apud Deum abſolvetur, a quo tamquam legitima, & æqua illius excuſatio admittetur . . . . Adde quod Sapiens Prov. 21. obedienti promittit, illum in præliis ſemper victorem futurum, & triumphos loquuturum. Victor erit; Deus enim illum ſuis proteget armis, illum brachio ſuo ſuſtinebit, peculiari modo proteget, eique potenter auxiliabitur, ita ut neque dæmones, neque alii quilibet inimici, cujuſcumque generis ſint, cum laceſſentes eidem officere valeant.

Deus in eos, qui non obediunt ſevere animadvertit.

Inobedientia crimen eſt, quod Deus numquam impune paſſus eſt, uti in Scripturis videmus, ac dicere poſſumus, illum hodierna quoque die in rebelles, & eos, qui legitimum detrectant imperium, eadem exercere ſupplicia, eademque maledicta, quibus primum rebellem, primumque inobedientem percuſſit: *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: ſpinas, & tribulos germinabit tibi*. Gen. 3. Quia mihi non paruiſti, propter ſcelus tuum terra maledicto erit obnoxia, tibi in pœnam tribulos, ſpinoſque feret, & nonniſi in labore, & ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Maledictum hoc quotidie contra rebelles, & inobedientes adimpletur, quorum Deus conſiliis maledicit, vias omnes tribulis ſerit faciens, ut conſcientiam jugiter ſtimulis perturbatam habeant, ac aſſiduis curis, ac tædiis conficiantur &c. *Id.*

Superiori tamquam ipſi Jeſu Chriſto obediendum eſt.

Ut perfecte obedias, aſſidue ob oculos illum habere debes, propter cujus amorem obedis. Rei hujus efficacia ex ſequenti ſuppoſitione cognoſci poteſt. Finge tibi, ipſum Jeſum Chriſtum tibi apparentem imperare, ut hoc, vel illud facias; qua alacritate, qua ſubmiſſione illi obedires? Oborieturne tibi cogitatio judicandi de iis, quæ tibi præciperet? Dubitareſne, utrum hoc juſtum eſſet, an ſecus? Nonne cæce omnia perficeres hac una adductus ratione, quæ omnem rationem ſupetat, imperat mihi Deus, ideoque nunc nihil æquius, nihil fieri a me poteſt utilius? Proculdubio te beatum putares, quod opera tua Deus uti vellet, & quo difficilius, & laborioſius id eſſet, quod tibi preciperetur, eo majori te gratia, & beneficio cumulatum exiſtimares. Hoc autem Sancti, immo ipſe Jeſus Chriſtus nos docet: *Qui vos audit, me audit*. Luc. 10. Ego impero, mihi obtemperas. Et ſane quid intereſt, utrum ille per ſe ſibi ſuam voluntatem aperiat, an ad illam tibi tradendam hominum, aut Angelorum utatur miniſterio? Ille ſemper imperat; neque enim expectandum eſt, donec ipſe aliter loquatur, neque petendum, ut ille ipſe nobis ſuam oſtenſurus voluntatem deſcendat. Semel de cœlo in terram deſcendit, ubi opus fuit, ut illam nobis exploratam, compertamque faceret; ſed tempus illud præteriit, nunc vult, ſuperiores ejuſdem interpretes eſſe. *Rodriguez tract. 5. cap. 11.*

Quam prompta, ac perfecta noſtra eſſet obedientia, ſi omnia hac mente reciperemus! Eodem temporis momento, quo ſuperioris vox auribus noſtris accideret, omnia relinqueremus perinde ac Jeſu Chriſti voce acceſiti; ac magnum nos patrare ſcelus arbitraremur, vel ſi momento obedire cunctaremur. Quanam cura noſtram voluntati illius conformaremus? Quo obſequio qua animi ſubmiſſione imperata reciperemus! Ullane eſſet difficultas, quam hæc non ſterneret cogitatio? . . . Modici vero fervoris, quam in obedientiæ exercitatione homines præſeferunt; immo etiam renitentiæ, qua Dei voluntati reſiſtitur, cum reſiſtitur voluntati ſuperioris, cauſa hæc eſt, quod non conſideratur perſona Dei in perſona imperantis, & quod ideo obediunt, ut vel ſuperiori morem gerant, vel ut evitent exprobrationem, quam inobedientia mereretur, vel quia imperium noſtræ arridet voluntati, vel denique ob aliam id genus rationem: quod efficit ut externi actus obedientiæ non ſint actus obedientiæ religioſæ, aut chriſtianæ, ſed tantum ad ſummum mundanæ, atque politicæ. *Idem*.

Quidquid eſt contra obedientiam ſuperiori debitam, eſt inobedientia facta Deo.

Hæc veritas eſt diligentiſſime conſideranda, & quæ altius animo noſtro inhærere debet, quod ſicuti cum obedimus ſuperiori, obedimus Deo, qui illum repræſentat, & cujus locum tenet, ita cum lædimus obſequium, & obedientiam, quam ſuperiori debemus, lædimus quoque obſequium, & obedientiam, quam Deo ipſi debemus. Ratio in utroque par; ideoque cum mundi Salvator dixiſſet: *Qui vos audit, me audit*, ſtatim addidit: *Qui vos ſpernit, me ſpernit*. Luc. 10. Quod ipſum S. Paulus in epiſtola ad Romanos animadvertit, ubi poſtquam dixit, homines ſubditos eſſe debere poteſtatibus ſuperioribus, quia omnis poteſtas a Deo eſt, hanc elicit illationem: quicumque poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Scriptura plena eſt auctoritatibus, lociſque veritatem hanc comprobantibus. *Nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum*, dixerunt Moyſes, & Aaron ad filios Iſrael Exod. 16. *Non te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos*, dixit Dominus Samueli 1. Reg. 8. Nihil ergo eſſe credendum eſt reſiſtere hominibus, quos vobis præfecit Deus ut ab iis regeremini? Nonne magnum facinus eſt, Deo reſiſtere, cum vobis perſuaſum eſſe debeat, a vobis illi injuriam inferri? Heu! ſupplicia, quibus ſæpe in hujus generis peccata animadvertit, ſatis oſtendunt, ipſum quam maxime ea affici contumelia, qua illi afficiuntur, quos in ſuum locum conſtituit, atque eamdem ſibi quodammodo illatam exiſtimare. *Ibidem*.

Magnum in morte ſolatium erit, paruiſſe.

Quam præclara illius vita eſt, qui ſemper in obedientiæ exercitatione vixit! quam dives eſt, pretioſa, ſancta, atque hilaris! Quot benedictionibus repletur anima, quæ ita conſuevit! Quinam erit vitæ adeo ſanctæ fructus? Profecto facile erit illi morituro rationem reddere; ubi enim interrogabitur, quid hoc, vel illo die fecerit; non aliud reddet, quam, feci Domine, quod voluiſti; quia parui; atque ita omnibus vitæ meæ diebus non magnis quidem meipſum exercui auſteritatibus, ſed tuam voluntatem adimplevi. Hæc mea conſolatio eſt, hæc ſpei meæ cauſa. *Sermo Manuſcriptus*.

Quid faciat religioſus vovens obedientiam.

Religioſus votum obedientiæ obſervans evertit, ac deſtruit licentiam hanc, hunc amorem dominationis, hanc propriam voluntatem, quæ amatur, & cujus ſubjectio magis quam mors ipſa timetur per hanc abnegationem, ac obedientiam nullis finibus circumſcriptam cui illum obſtringit religio. Verbo: quemadmodum tota illius vita non aliud eſt quam ſeries, & nexus actionum imperatarum, cumque obedientia dominetur, & regnet in omnibus vitæ ejuſdem circumſtantiis, dicere poſſumus, neminem eſſe, cui melius hæc quadrent verba Sapientis: Prov. 21. *Vir obediens loquetur victorias*. Perfectus obediens aſſiduos refert triumphos, quia hac ratione ſua vitia, ſuaſque affectiones evertens, aufert Dæmoni arma, quibus mundi ſectatores oppugnare conſuevit, reprimit potentiam hoſtis humani, ac irritos facit quoſcumque conatus, quos exercere poſſet nobis nociturus. *Abbas Trappenſis Collat. pro 3. Advent. Domin.*

Infelicitas religioſi, qui propriam non abnegavit voluntatem.

Religioſus, qui ſuam retinet voluntatem, pati non poteſt eos, qui in ipſum habent auctoritatem; qui illius vivendi rationem inſpiciunt. Difficultates in ſingulos geſtus oriuntur; nihil umquam præcipitur, quod illi placeat, vel illum deceat; indeſinenter per tribulos, dumoſque graditur, ſemper queritur, & murmurat: pax ab eo fugit, gravi exercetur bello, quod nullum invenit finem, neque ſecum magis, quam cum aliis conſentit, & hoc pacto omnem ſeceſſus ſui fructum amittit, & cupiditates illi æque inter clauſtra ac olim in mundo, dominantur. Ex hoc autem malo evenit, quod religioſus, qui perfectam vovit obedientiam, votum quod vovit contemnens, omnemque promiſſionum ſuarum recordationem abjiciens ſe in eum ſtatum adducit, ubi Deus nonniſi cum indignatione illum videt. Recedit ille a Deo: Deus recedit ab illo. Dæmon, qui hanc videt infidelitatem, & hoc divortium, infelicem hanc aggreditur animam, circumdique illi ſtatuit laqueos: & hæc, Deo præſidium, quo illa ſe indignam præbuit, negante, decidit in foveam, quam fecit. *Idem Collat. pro Quinquageſ. Domin.*

Ad quid obliget obedientiæ votum in ſtatu religioſo.

Obedientiam vovere eſt ſeſe obligare ad id, quod in religioſa vita maximum eſt, maximique momenti, difficillimum, ſanctiſſimumque. Ad id inquam, quod maximum eſt, in hoc enim perfectio tota, conſiſtit; & quidquid illa continet, in virtutis hujus exercitatione comprehenditur, & palam conſtat, obedientiam ita religioſæ vitæ eſſentialem eſſe, ut religioſum eſſe, & perfectum eſſe obedientem, ſit unum, & idem. Nihil in illa majoris momenti eſt; etenim ſine obedientia actiones omnes, exercitationes, ſtudia, officia, ex judicio Dei, nullum habent meritum, nullamque virtutem. Nihil eſt difficilius; quia obedientia nihil aliud quærit, quam integram abnegationem, perfectam a ſeipſo diviſionem, mortem, ac veram proprii ſpiritus deſtructionem; quod quidem difficillimum eſt, & quod homo ſuapte natura ſuperbus, ac ſeipſo tumidus vix pati poteſt. Nihil denique eſt ſanctius, quippe omnes hæ præcedentes diſpoſitiones conſummatam ſanctitatem vel ſupponunt, vel continent. *Idem Collat. pro 4. poſt Pentec. Domin.*

Perfecta obedientia rara eſt domibus etiam religioſis.

Sed ubinam invenitur hæc perfecta obedientia, obedientia hæc cum ſimplicitate, ſuavitate, alacritate, hilaritate, affectu, amore, obſequio, & exiſtimatione conjuncta erga eos, qui præſunt, & imperant? Nonne paſſim prorſus oppoſitum videtur? Murmurationes, ſuſpiciones, mœrores, temeraria judicia, ſollicitudo, invidia, diffidentia de iis, qui habent auctoritatem, & infinita hujus generis mala, quæ pulchritudinem domus Dei dedecorant, & efficiunt, ut externis actionibus ſoliditas, virtus, & meritum deſint, quod mali magnitudinem auget, cum pravæ privatorum affectiones ſæpe ſecretæ ſint, malo curando ne animus quidem advertitur, neglectiſque vulneribus augetur corruptio, ac tandem illuc evadit, ut medicinam pati non poſſit. *Idem collat. 2. pro 10. poſt Pentec. Dom.*

Primi hominis inobedientia.

Certum eſt, ex Patrum ſententia, omne primæ felicitatis in homine bonum ab illius erga Deum ſubmiſſione pependiſſe. Sanctitas illius tantum perſtitit, quantum obedientia; ac tunc tandem peccator factus fuit, cum abuſus libertate, quam illi tradidit Deus, illum in conſilii ſui manu collocans, ut inquit Scriptura, propriam voluntatem divinæ ſubſtituit. Cum anima contra Deum rebellavit, corpus ab anima defecit, & duæ iſtæ partes ex quibus coaleſcebat, factæ ſunt duo irreconciliabiles, ac domeſtici hoſtes, qui præliis ſuis illum vexarunt, omnemque illius progeniem vexabunt. *Auctor Anonym.*

Religioſus certus eſt ſe facere quidquid vult Deus, cum ea facit, quæ illis placent, qui eidem præſunt. Sed ubi id unum efficere vult, quod ipſi arridet; cum dolo, blanditiis, querimonia, aut alia qualibet arte, Caſſianus ait, cogitur ſuperior, id tantum jubere, quod in votis eſt, numquid poteſt aliquis putare, ſe ea tantum facere, quæ Domino placent? Verum eſt, homines ſeſe confirmare ſpecie quadam ſubmiſſionis, quæ vaga eſt, & commentitia, in hoc poſita, ut cognoſcant, quod ſi jura ſuo ſuperiores utentes nos in neceſſitatem adducerent efficiendi oppoſitum ejus, quod volumus, hoc facere teneremur; & generali hac idea ſeſe protegentes ea tantum faciunt, quæ volunt. Suavis quidem conſolatio eſt religioſo viro eo in munere, in quo Deus illius expetit, humanis decedere. At cum ſumus, ut ita dicam, fortunæ noſtræ opifices, cum hoc munus, & hæc dignitas effectus eſt curarum, & ſollicitationum noſtrarum, vel fructus electionis noſtræ, numquid morientes hac dulci conſolatione perfundimur? *Croiſet in Spirit. Conſiderat.*

Quam oppoſita ſint obedientiæ judicia, & murmurationes, quæ de ſuperioribus fiunt.

Statim ac prudentia carnis prudentiæ ſpiritus ſuccedit, obedientia jugum non ferendum videtur. Illico efformantur judicia judiciis ſuperioris imperantis oppoſita, & ſi in illis virtus, ac zelus invenitur, attamen non deeſſe plurimum imprudentiæ exiſtimatur. Obedientiam quam petit, nimis cœcam eſſe; illum imperioſius ſua abuti auctoritate; zelum, quo agitur, ſecundum ſcientiam non eſſe; illum a ſubditis ea petere, quæ præter eorum officia ſunt? illius ſolertiam, proprie loquendo, meram eſſe libidinem, merumque pravi ejuſdem ingenii effectum; quæ ab ipſo benevolæ redargutiones vocantur, veras eſſe contumelias, veroſque furores, fidei conſonum non eſſe, tot præſtantiſſimos viros, qui non ſecus ac ille ſuperioris dignitate præfulgent, in tenebris, ac cæcitate verſari, ipſum unum, ut ita dicam, bonos oculos habere, & uni ipſi illuceſcere. Penes te judicium ſit de hujuſmodi conſiderationum effectu, atque utrum cum talibus ſenſibus ſervari queat obedientia. *Ex libro, cui titulus: Colloquia Abbatis Joannis, & Euſebii Presb.*

Inferior obediendo errare non poteſt, licet Superior parum æqua jubeat.

Si evangelicos ſenſus aſſequamur, facile cognoſcemus incomparabilia obedientis vitæ bona, & execrabimur vitam inobedientem, qua hujuſmodi bonis privamur: contemnemus ſermones, quos humana profert ſuperbia, bonum videlicet eſſe libertatem ſuam tueri, nec ſeſe alienæ libidini ſubjicere. Libidinem pro libidine; multo melius præſtat alienæ ſubditum eſſe, quam ſuæ; aliena quippe nobis minime nocebit, & rarum eſt, ſi minime profit; ceſſat quippe talis eſſe in inferioribus, qui per obedientiam ſequuntur illam quamvis in ſuperioribus talis exiſtat. Sæpe in ſuperiore libido eſt temere inferioribus imperare, quæ neutra ſunt; at libido non eſt in inferiore, ſeſe ſuperioris voluntati ſubmittere in iis, quæ neque bona, nec mala ſunt, & quæ temere imperata fuiſſe videri poſſunt. Obedientia æquam facit executionem mandatorum, quæ non æqua vocari poſſunt; immo ab hac incommoda, & periculoſa perquiſitione, utrum æquum ſit imperium, necne, diſpenſat, quæ res nos in periculum adduceret, ut de ſuperioribus judicaremus, eoſque ſæpe contemneremus. Scire ſatis eſt, ea, quæ imperantur, contra Deum non eſſe, quod primo ſtatim occurrit intuitu; at ſcire, utrum opportunum ſit, an importunum imperium, utrum aliquid melius poſſet imperari, hæ periculoſæ, & inutiles ſunt diſquiſitiones, a quibus obedientia diſpenſat. *Deſumptum ex Speciminibus Ethicis tom. 10.*

Qui obedientia reguntur, tutum lumen ſequuntur.

Chriſtiani ſunt filii lucis, ambulare debent in lumine; ſed obedientia nobis lumen ſemper præſens miniſtrat. Qui ſeipſum regit, cognoſcere debet non ſolum utrum actiones ſuæ bonæ ſint, an malæ, verum etiam utrum eæ ſint, quas ab ipſo expetit Deus, & utrum fictis coloribus ad illas impellat cupiditas. Sed qui ſibi propoſuit in quavis actione ſequi, quidquid ipſi a ſuperiore fuerit præſcriptum, repente hoc nanciſcitur lumen, quo regendus eſt. Ad id non indiget niſi ipſa obedientiæ regula, quæ præfert judicium alterius, qui ab omni cupiditate vacuus eſt, proprio judicio, quod numquam ſuſpicione vacuum exiſtimandum eſt, & mavult ſui ipſius regendi curam alteri tradere, quam teneri propriis luminibus dignoſcere, quid deceat, quid non, & quid ab ipſo exigat Deus. Regulæ hujuſmodi ſimul, & prudentiæ, & boni ſenſus regulæ ſunt, lucem præferentes illi, qui obedientiæ viam ingreditur. Ita via hæc via eſt luminis, via ſplendore veritatis illuſtrata, & de qua dici poteſt, quod de via juſtorum Sapiens Prov. 4. ait. *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem*. *Ibidem*.

Periculum eorum, qui ſeipſos regere volunt, & obedientiam detrectant.

Quod Sapiens addit, terrorem incutere poteſt iis omnibus, qui ſeipſos regunt; videtur enim eorum vitam prorſus oppoſitis qualitatibus indigitare: *Via impiorum tenebroſa*, ait ille Prov. 4. *neſciunt, ubi corruant*. Hæc verba nonne adamuſſim illis quadrant, qui ſeipſos proprio lumine ducunt, & qui propriam voluntatem ſequuntur? etenim pro luminibus rationis, & fidei, non alium ducem ſequuntur, quam libidinem, cupiditates, & affectiones ſuas, quæ veræ ſunt tenebræ. Ita verum eſt dicere, illos neſcire ubi corruant; quia ne lapſus quidem ſuos cognoſcentes neſciunt, utrum ceciderint, & minus adhuc, utrum lapſus ſuus ſit periculoſus. Sæpe quod illis nihil videtur, eos in præceps trahit. Hic nonnumquam lapſus eſt, ex quo conſurgere non poterunt; ſæpe vulnus eſt, quod mortem illis inferet, ideoque neſciunt ubi corruant. *Idem*.

In obedientia ducem invenimus, quæ nos tuto in viam ſalutis adducet.

Humana vita fallacibus repleta eſt ſemitis, quæ nos ab itinere deflectunt, ac in periculoſos errores alliciunt; & cupiditas, quæ ſemper viget in nobis, infidelis eſt conſiliarius, quo jugiter ſollicitamur, ut eas ingrediamur vias, quas nobis ſuaves, & jucundas repræſentat. Quid igitur ſaluti eſſe poteſt utilius, quam fidelem invenire ducem, qui manu veluti nos ducat, efficiatque, ut in multiplici viarum numero illam eligamus, quæ nobis maxime convenit? Quid e contra inſipientius eſſe poteſt, quam illius hominis ſermo, qui nos nimiæ redargueret ſimplicitatis, eo quod hæc acceptamus ſubſidia, & manu duci patimur, noſque tradimus fideli huic duci, quæ ex tot periculoſis erroribus eripit. *Ibidem*.

Obedientia inexhauſtus eſt fons meritorum coram Deo.

Non ſemper eo in ſtatu ſumus, ubi Deo offerre valeamus corporis mortificationes; & ſi indiſcretis mortificationibus membra noſtra affligtare contendimus, earum fontem exhaurimus, vires atterendo, & valetudini officiendo. Liberalitas, quæ nos impulit, ut offerremus Deo bona, quæ nobis elargitos eſt, & amicos nobis conciliaremus mammona iniquitatis, ſuos limites habet, & ipſa exercitatione exhauritur: ſed obedientia nullis eſt finibus circumſcripta, inexhauſtus eſt fons benedictio-

dictionum; ſemper parata meſſis, quæ numquam deficere poteſt. Qui non obedit agendo, obedit non agendo, cum ad id imbecillitate redigitur. Qui obedire nequit iis, quæ a nobis homines cupiunt, obedit Deo, qui non vult, tunc nos illis obedire; Deo enim obedire debemus hominibus obedientes; & par utrobique meritum eſt, & volente Deo hominibus obedire, & non obedire ipſo nolente. *Idem.*

Offerendo voluntatem Deo per obedientiam inexhauſtus illi theſaurus offertur.

Qui grati animi ſenſus erga Deum fovent, ſæpe ſecreto dolore conficiuntur, eo quod non habent, quod offerant illi; at ſi vere ſpirituales ſunt, obedientia illis inexhauſtos theſauros oſtendet. Quantumvis pauperes ſint, ſuam ſemper habent voluntatem, eamque Deo offerre poſſunt abnegantes illam. Hoc donum eſt, quod Deus pluris facit, quam terrena omnia, cum hominis voluntas longiſſime ſenſibilibus quibuſcumque rebus ſit anteferenda. Theſaurus iſte, qui numquam pauperibus deficit, Deo æquam nanciſcitur judicem, qui juſtum illius novit pretium. Nemo ergo de ſua erga Deum conqueratur inopia, ſed de ſeipſo queratur, eo quod diteſcere nolit ſuam Deo per obedientiam tribuens voluntatem. *Ibidem.*

Qui obedientiam exercet, præcipuas, ac præſtantiſſimas virtutes ſimul exercet. Juſtitiam primum, cum enim homo per voluntatis ſuæ amorem perierit, æquum eſt, ut voluntatem ſuam abnegando reparet noxam. Pravus noſtræ libertatis uſus noſtrum peperit lapſum, atque infelicitatem; æquum eſt igitur, ut conſurgamus abdicantes, libertatem illam, qua ſumus abuſi. Homines neceſſitate quadam coguntur ſeſe ad quamdam redigere captivitatem; ſeipſos mancipaverunt peccato, ſuis cupiditatibus inſervientes, & ex hac ſervitute emergere nequeunt, quin ſe mancipent Deo, vel per ſe, vel per homines imperanti. Verum cum non ſemper adeo facile ſit Domini viam dignoſcere, admirabile nactus eſt ſecretum neceſſariæ hujus ſervitutis exercendæ, qui facit, ut hominis imperium fiat imperium Dei, quod obedientiæ via præſtat. *Ibidem.*

Qui obedientiam exercet humilitatem ſimul & mortificationem exercet.

Exercet humilitatem, quia obediens ſe ſubjicit, & homini imperanti, & Deo imperanti per hominem. Proprias fatetur tenebras, & ſe cœcum eſſe confitens evitat peccatum confidentiæ in luminibus ſuis. Sinere ſe ab aliis duci, cœcitatis effectus eſt; ſed non alia potior ſuppetit ratio evitandi, ne in hoc malum ruat, quam illud hoc modo prævertendo. Mortificationem exercet; præcipuum enim objectum, cui adhæreat homo, eſt ipſius propria voluntas. Ita qui ab illa per obedientiam ſe ipſum avellit, exercet mortificationem omnium maxime ſpiritualem, intimamque, ac ex corde ſuo magis profundas atque latentes amoris proprii fibras conatur avellere. *Iibdem.*

Qui ſe ab obedientia duci ſinit, veram poſſidet ſapientiam.

Sapientia, qua docemur, quomodo qualibet in actione noſmet gerere debeamus, perrarum donum eſt, quod immediate paucis communicat Deus, quia illis eſſet quodammodo periculoſum: cum enim contineat lumen, quo nobis oſtenditur, quid quavis in occaſione faciendum ſit, anima, quæ eodem aucta eſt, hoc intelligit; idque intelligens, periculum eſt ne intumeſcat, atque ſuperbiens per præſumptionem in veram decidat dementiam. Deus igitur homines vulgo ab hoc periculo ſervaturus, hoc ſapientiæ donum paucis communicat, a quibus alios illud mutuari vult ſeſe illorum regimini ſubjicientes. Ita reipſa poſſident quidquid in ſapientia reale eſt, bonam videlicet vivendi rationem. Quid igitur intereſt, veram ne ſapientiam in te habeas, an in alio, dummodo æque bene te regat? Tutius immo eſt illam in alio tantum poſſidere, quia humilius, & citra ſuperbiendi periculum poſſidetur. *Ibidem.*

Raro ſuperior non habet plus luminis, quam nos, ut nos ipſos dirigat; minus enim habet affectionum, & vacuus eſt, quod ad nos attinet, amore proprio, quo excæcamur, & quia humilis ſubmiſſio, qua illius mandata recipimus, paſſim reparat, quidquid in ſuperiore deficere potuit. In plurimis peccare poſſumus ſubmiſſionis defectu, ſed perraro ob nimiam ſubmiſſionem peccamus. Obedientia itaque ſapientia eſt omnium captui accommodata; ſemper enim obediendi adeſt occaſio, dummodo hoc ex animo cupias. Qui ſuperiorem non habet, directorem habere poteſt; qui directore caret, invenire poteſt amicum, & ſincera ſequendi conſilium alienum cupiditas fere ſemper in aliis gignit nobis conſilium præbendi voluntatem. *Ibidem.*

Suave, & jucundum eſt in obedientia vivere.

Quidam proprium præferunt conſilium ſuperioris imperio, fallaci ducti cogitatione, videlicet eſſe alienæ obnoxium voluntati. Verum ſi in actionibus ea nobis mens eſſet, quæ Chriſtiano eſſe debet, ſi timeretur, quod ibi timendum eſt, profecto liqueret, nihil in terris ſuavius eſſe vita obedientiæ, & ſubmiſſionis. Quemadmodum ſinguli vitæ greſſus ad æternitatem referuntur, timere debemus, ne pedem proferentes labamur, nullumque ſolidum inveniamus fulcrum, itaut in errorem decidamus virtutem ſequi arbitrantes. Hoc autem nobis metuendum eſt, cum propriis luminibus ducimur; ſecus vero cum aliena ſequimur. Tunc enim ſemper ſolido innitimur lumini, ſi ſententiam jam ſatis probatam ſequamur, in iis videlicet, quæ per ſe mala non ſunt, utilius eſſe ſuperioris voluntatem ſequi, quam propriam. *Ibidem.*

Melius eſt per obedientiam re aliqua per ſe bona, & legitima abſtinere, quam propriam ſequi voluntatem: id enim efficientes, quod optamus, illud unum aſſequi bonum poſſumus, quod nobis propoſuimus, ſed ab eo, quod cupimus bono abſtinentes, quia ſuperior id negat, cooperamur generali illius, in qua ſumus, ſocietatis bono; certum eſt enim eam ſocietatem, in qua quiſque facit, quod vult, ſenſim in plurima labi mala, ibique omnia paullatim ſuſque, deque miſceri ſingulis pro libidine agentibus. *Ibidem.*

Dei filius propriam voluntatem melius præſcribere non potuit, quam conſtituendo obediendi neceſſitatem; quod & præceptis præſtitit, & exemplis de utilitatibus, & bonis, quæ in eo continentur, locutus. Ut verbo me expediam, obedientiæ ſacrificium omnium optimum eſt: *melior eſt obedientia, quam ſacrificium*, Diſcriminis hujus ratio, ex S. Gregorii ſententia, hæc eſt, quod per obedientiæ ſacrificium noſmetipſos, propriamque offerimus carnem, in aliis vero ſacrificiis victimarum ſolum caro immolatur . . . . . Ratio autem, quam Salvator adſert, ut nos ad noſtræ voluntatis odium adducat, utque nos ex omnibus eruat malis, in quæ decidunt, qui ita infelices ſunt, qui eidem inſerviunt, hæc eſt, quod qui ſcit voluntatem domini ſui, eamque non adimpleverit, ſevere punietur. Et profecto voluntas, quæ cœca eſt, & quæ per ſe cognitione, & lumine caret, nobis vias oſtendit præruptas, atque in præceps deſinentes; hoc eſt, qui illam ſequitur ducem, ſeſe ſuis tradit affectibus, ſuiſque trahi ſinit cupiditatibus. Vivit ſuæ ſubditus concupiſcentiæ, ſuæque libidini, & quantumcumque adnitatur, ut ſibi infelicem in quo eſt, ſtatum abſcondat, ſemper conſcientiæ ſtimulis ſecretiſque ejuſdem exprobrationibus diſcruciatur. *Abbas Trappenſis in moral. conſid. in S. Lucæ Evangel.*

Deus regimen eorum aſſumit, qui per obedientiæ votum a ſuperioribus ſe regi ſinunt.

Deus ipſe profitetur ſe eorum curam habiturum, qui propter ipſius amorem propriam voluntatem abnegaverint. Huic promiſſioni innixa anima generoſa ſe ipſam jure privat naturali, quod habet ſemet regendi, nautam imitata gubernaculum in mare projicientem. Hoc per obedientiæ votum præſtat religioſus; munerum ſuorum, vitæque ſuæ curam illis relinquit, qui Dei locum tenent, quin cogitet, quid de ſe illi facturi ſint, qui ſollicitum ſe præbeat, quin inflectere audeat ſuperioris imperia; non oblitus ſibi jus eſſe ademptum manus iterum gubernaculo admovendi. Hi ſenſus ab ingredientibus religionem paſſim foventur; at non ſemper retinentur. Fervor ſenſim tepeſcit; pauci ſunt, quibus non ſuboriatur cupiditas exiguum aliquem motum naviculæ ſuæ afferendi, ut ad eum portum appellat, quo propria ſtudia perflant; pauci, videlicet, ſunt, qui nullam non adhibeant induſtriam procuraturi, ut a ſuperioribus eo mittantur, quo ire cupiunt, & ei muneri, quod in votis habent, applicentur. Hoc eſt vitæ ſuæ regimen iterum aſſumere, iterumque gubernaculo manum admovere. *P. Surim in Dial. Aſcet. tom. 1. lib. 3. cap. 6.*

SUPPLEMENTUM.

Obedientia quam debemus terræ principibus referenda eſt ad Deum.

OBedientia noſtra ſemper tendit in Deum tunc etiam cum nos hominibus ſubjicit; his enim obtemperamus, quia jubemur a Deo, & hoc Dei mandatum cauſa potiſſima eſt in obedientia, quam illis præſtamus. Obedio Regibus, quorum ſubditus ſum: & ſi ſervus eſſem, domino obedirem, quia ita vult Deus. Igitur vere Deo obedio; voluntas Dei meam regit voluntatem; ego vero ab hominum voluntate minime pendeo, tunc etiam cum diligentiſſime illorum impetrata facio; nam ſimul ac Dei voluntas mihi ſignificat, ſe nolle, ut in re quapiam illis obediam, nullum amplius in me vel ſubditum, vel ſervum invenient. *Ex tractatu de magnanimitate Patris Segneri.*

Voluntatem noſtram facere normam actionum noſtrarum eſt illi tribuere quod Deo tantum convenit, & iis qui locum tenent illius. 1. Reg. 15.

Docet Scriptura, quod obedientiam detrectare eſt quoddam veluti crimen idololatriæ: *Quaſi ſcelus idololatriæ eſt nolle acquieſcere.* Ut melius id intelligamus, mementote, ſecundum Sanctorum librorum phraſim, hominis cupiditatem eſſe idolum ipſius; homo enim omnia ad peculiarem affectum ſuum reducit. Voluptuoſus de ſuis tantum voluptatibus cogitat; avarus de theſauro ſuo tantum ſollicitus eſt, & ſubditus inobediens ſuam tantum voluntatem

vult ſequi. Hoc cuique ſuum Deus eſt, vel potius idolum. Eſſe noſtrorum officiorum regulam attributum eſt, Deo uni conveniens; niſi illud alteri cuipiam communicet, quod facit cum illis, qui illius vices gerentes nobis moderantur. Ita Jeſus Chriſtus de omnibus Superioribus inquit: *Qui vos audit, me audit.* Luc. 10. Cum ergo Superiori hanc negamus qualitatem, ut nempe ſint regula actionum noſtrarum, ut hanc noſtræ tribuamus voluntati, nonne illos imitamur cultores idolorum, *qui appellaverunt Deos opera manuum hominum*? Sap. 14. Deteriores etiam his inſipientibus, qui Dei nomen lapidi tribuunt, vel ligno, eamdem Dei auctoritatem noſtræ voluntati deferimus, hanc tamquam vitæ noſtræ normam conſtituentes. Superior noſter accepit a Deo poteſtatem imperandi nobis, ut eſſet canon actionum noſtrarum; ideo illi detrectare obedientiam eſt idem, ac illam negare eſt nobis in Deum propriam voluntatem erigere, quod ſpecies eſt idololatriæ. Si grave eſt divinationis ſcelus, idololatria multo gravius eſt. Magnum proculdubio peccatum eſt proprium judicium judicio Superioris objicere: tunc enim certum pro incerto rejicimus. Sed voluntati Superioris non acquieſcere, culpa enormis eſt; eſt enim velle voluntati noſtræ ſubmittere voluntatem hominis Dei vices gerentis. Hoc pacto inferior ſemet ſupra ſuum Superiorem conſtituit. Quæ rerum perturbatio voluntas noſtra non eſt, niſi idolum inane. Si hoc adoramus, in illo dæmonem adoramus, qui nonniſi ad interitum poteſt adducere. *A voluntate tua avertere.* Eccli. 18. Conculca pedibus tuis hoc idolum, & in Superiore, quem tibi Dominus præpoſuit, primam actionum tuarum normam agnoſce. *Idem.*

Generatim Obedientiæ nomine intelligitur illa Obedientia, quæ ad omnes pertinet Fideles, non illa ſimpliciter, quæ earum propria eſt animarum, quæ Evangelica amplectuntur conſilia, Obedientia hæc eſt perfecta ſubmiſſio legi Dei, vel iis omnibus, quæ jubet vel per ſe, vel per miniſtros ſuos. Ut autem hæc perfecta ſit, tria requiruntur, 1. Bona fide ea quæ ſibi facienda, vel non facienda ſunt edoceri; alioquin hæc eſſet obedientia vitilitigatrix, vel ſtupida. 2. Obire generatim, & ſine reſtrictione omnia officia ſua: alioquin eſſet conditionalis, & coarctata obedientia. 3. Seſe Deo tamquam Filium Patri ſubmittere: alioquin ſervilis eſſet obedientia. Omni igitur cura, meditanda, & conſulenda eſt Dei lex, ut cognoſcas quid tibi faciendum ſit, & hæc rationabilis, & ſincera obedientia appellatur. Temet ſubjicere debes iis omnibus generatim, quæ hac lege imperantur, & hæc abſoluta, atque integra dicitur Obedientia. Denique hæc omnia munera obeunda ſunt in ſpiritu Charitatis, & amoris Dei; & hæc filialis obedientia nuncupatur. *Ex tertia parte Moralium ſermonum.*

Tres neceſſarii caracteres ut obedientiæ ſit perfecta.

In Obedientia, quam Deo, ejuſque vices gerentibus debemus, tres caracteres requiruntur, ſi ad virtutis hujus perfectionem contendimus. Debemus enim ſemper 1. in pretio habere, laudare, approbare, quæcumque a Superioribus imperantur, lumina noſtra luminibus eorum ſubjicere, & cæce arbitrari ea, quæ nobis præcipiuntur ſcita eſſe, & cum ratione conjuncta; 2. intus ad voluntatem noſtram componere, amare mandatum, quod irrogant nobis, illudque tamquam aptiſſimum, optimumque conſiderare. 3. Exequi celeriter cum ſimplicitate, hilaritate, perſeverantia quidquid nobis imperatum fuit, licet naturæ moleſtum, ac difficile. Quantumvis ſolers, & litteralis fuerit exterior obedientia, nullius tamen erit pretii coram Deo, niſi conjuncta fuerit cum interioribus reverentiæ, & amoris ſenſibus. Rite, exempli cauſa; fungimini eo munere, quod vobis creditum eſt; ſed reipſa nonniſi impatiente eſtis oneris hujus. Mens veſtra contra Superioris voluntatem inſurgit, cor veſtrum murmurat; hinc, Sanctus Bernardus ait, obedientia jam nulla eſt; exterior obedientia veſtra hypocriſis eſt, & nocens ſimulatio. Rei hujus diligens ratio habendo eſt; ne culpa veſtra jacturam faciatis fructuum tot loborum veſtrorum. *Moralis Novi Teſtamenti Pater Neuville Tomo 1.*

Pax, & tranquillitas ſpiritus hominis vere obedientis.

Qui obedit, debet eſſe in tranquillitate perfecta. Nihil illi negotium faceſſat oportet, nullaque turba agitetur. Eſt in Dei ordine. Quod facit, parum videtur, ſed parum non eſt; meritum enim illius obedientia commendat. Obedit licet ratiocinetur; quodcumque conetur nil melius facere poteſt quam Deo obtemperare. Multo melius fieri debet obediendo quod parvi momenti videtur coram hominibus, quam ſemet ſubrahere obedientiæ, ut propria voluntate, ac motu mentem applices iis, quæ ſuperioris ordinis creduntur, & multo majoris momenti

exiſtimantur. Hic dicit, ſibi non eſſe tempus orandi; alter queritur, quod ſibi non liceat exercere auſteritates, quibus propenſus eſt. Optimum eſt diu orationi vacare; optimum caſtigare corpus ſuum, & per mortificationem illud in ſervitutem redigere; ſed melius eſt obedire, & ſe ſe juxta Dei Ordinem continere. Quod facis abjectiſſimum eſt, atque nihil hoc domi abjectius, & emptibilius occurrit. Sed ex in loco tuo, & id facis, quod tibi mandatum eſt. Sta ubi es, & habeto veluti tentationes, cogitationes omnes quibus turbaris. Attende ad munus tuum, eo in ſtatu es, ubiDeo magis places quam ſi humiliter proſtratus in Templo ad aras procumberes. *Sermo de Vita Eccleſiaſtica Lambert, Tomo ſecundo.*

Deus damnat etiam actiones, quæ ſanctiores videntur, contra illius mandatum ſuſceptas.

Vult Deus hominem eſſe ita fidelem obedientiæ, ut damnaturus eſſet illum, qui contra hanc virtutem peccaret ſub inani prætextu deferendi eidem honores, quos nequaquam requirit. Habemus in Scripturis celeberrimum exemplum ad hujus principii veritatem probandam. Saul jubetur bellum Amalecitis inferre, eoſque occidione delere, quin cuipiam parceret, & quin vel minimum quid ad Amalecitas pertinens reſervaret. Saul parcit Agag Regi Amalecitarum. Populus ſibi reſervat ea quæ optime erant ex gregibus. Nullus umquam fuit prætextus ſpecioſior illo, qui adhibitus fuit ad inobedientiam hanc fuco liniendam. Hi ſervantur greges Deo immolandi; ſacrificium, quod deteſtabitur Deus. Hæccine ſunt holocauſta, quæ Deus ſibi jubet immolari? Obedientiæ ſacrificium, cordium, & voluntatum noſtrarum obſequium; iſtæ ſunt victimæ, quas poſtulat Deus. Sed attendite ad ſequentia Scripturæ verba, & meditamini quo pacto loquatur de inobedientia in eadem hypotheſi; quam ad examen vocamus. Scriptura palam ait, crimen hoc eſſe ſpeciem magiæ, & omnem idololatriæ nequitiam in hac obedientia inveniri. Hoc facile intelligetis, ubi conſideraveritis, hunc hominem ſibi tantum obedire velle; & cupiditatem propriamque voluntatem ſuam ſibi in idolum convertere. *Idem, ibidem.*

Obedire eſt facere, quod jubet ſuperior, & quia jubet.

Obedientiæ meritum, non omnino in eo ſitum eſt, ut exequamur id, quod jubet Superior, ſed ut exequamur propterea quod jubet. Utilitas, honor, decorum, metus efficiunt quotidie, ut ea faciamus, quæ jubet. At hæccine virtus eſt? Nequaquam. Perfecta Obedientia poſtulat etiam noſtræ voluntatis cum voluntate Superioris conformitatem, ita ut velimus, quod vult, & ideo velimus, quia vult. Quæ cauſa eſt propter quam ſecundum Scripturarum phraſim nolle obedire, non eſt generatim nolle exequi mandatum Prophetæ, ſed huic nolle acquieſcere. *Quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.* 1. Reg. 15. Igitur obedientia eſt acquietio noſtræ voluntatis voluntati Superioris, & illa perfecta eſt, cum voluntas noſtra in ſuperioris voluntate, tamquam in centro ſuo requieſcit. Sed voluntas non ita facile huc uſque ſemet ſubmittit ſi adhuc proprium judicium noſtrum audimus. Ita ut bene obediamus primum nobiſmet perſuadere debemus, ſuperiorem jure præcipere, quæ præcipit. Si e contra nobiſmet perſuadere conamur, ipſum hoc injuria facere: ſtatim erramus, & noſmet non obediendi periculo objicimur. Licet quidem oſtendere ſuperiori difficultates, quas patitur mandatorum ejus executio; ſed ſi poſtquam has ſignificavimus, quod quidem ſumma cum humilitate faciendum eſt, ei contradicimus, ſi cum illo diſputamus, ut eumdem in noſtram ſententiam pertrahamus, hoc ſane eſt, nolle obedire. Veſtrum eſt diligenti indagine quærere, quomodo hac in re voſmet geratis. In omnibus ſtatibus peccatur; & noxæ frequentiores, gravioreſque ſunt opinione. *Pater Segneri in Meditationibus.*

Credere melius eſſe a voluptate ſuperioris recedere, hæc ſpecies eſt divinationis. 1. Reg. 15.

Proprium judicium judicio Superioris opponere juxta Spiritus Sancti locutionem eſt *ſpecies divinationis*. Hoc eſt imitari hominem divinare volentem. Divinitus juſſus fuerat Saul omnem Amalecitarum regionem igni, ferroque vaſtare; ſed ille contra vetitum pinguioribus victimis parcit, ratus Sacrificium Domino gratius futurum; & hac ipſa de cauſa, quia contra Propheta cujuſdam imperium Dei conſilia fuerat interpretatus, Samuel Sauli dixit: divinationis ſpecies eſt nolle obedire. Vos eſtis rei ſceleris ejuſdem, cujus infelix hic Princeps: vos quoque, ut ille, Cœli conſilia libidini veſtræ accommodatis, quotieſcumque proprium judicum veſtrum eorum judicio, qui hic Dei vices gerunt, non accommodatis. At ignoratiſne eos, qui Domino adverſantur, in confuſione futuros? Iſaia 45. Quinam mihi, Domine, pacis fons, atque tranquillitatis, certum eſſe poſſe a me fieri voluntatem tuam in terra, cum facio voluntatem eorum, quos

mihi præfeciſti, ut mihi moderarentur! *P. Segneri in Meditationibus.*

Obedientia eſt inter præſtantiſſimas virtutes.

Videmus in Jeſu Chriſto viventem virtutum omnium imaginem, præſertim vero obedientiæ. Hoc ille de ſe teſtatur, ut intelligamus quouſque proceſſerit fidelitas illius in virtutis hujus praxi, cum ille de Cœlo deſcenderit non ad faciendam voluntatem ſuam, ſed illius, a quo miſſus fuit: & cum alioquin non quæſiverit ille facere voluntatem ſuam, ſed illam Patris ſui, qui miſit illum; dicens cibum ſuum eſſe facere illius voluntatem, a quo miſſus fuit. Apoſtolus teſtimonium nobis daturus perfectæ obedientiæ Salvatoris Mundi, dicit illum factum fuiſſe obedientem uſque ad mortem; ex quibus verbis videtis, Dei Filium venientem in terras, numquam ſibi propoſuiſſe, ut ſuam faceret voluntatem, ſed ut in omnibus Patris ſui voluntatem impleret. Denique quouſque proceſſit hæc Salvatoris obedientia? Uſque ad mortem. Igitur aſſidua fuit ejus obedientia; perfecta fuit, & in omnibus. Quibus caſibus turbari poſſet, quibus deterreri ille, qui paratus eſt ad obediendum uſque ad mortem? *Lambert.*

Ita illis particularis quædam inhæret benedictio.

Inſignis adnexa eſt benedictio obedientiæ fideli in minimis præſertim; magna quippe opus eſt humilitate, ut noſmet dimittamus ad obediendum in iis, quæ nullius fere momenti eſſe videntur, ideoque in eo plus eſt meritorum. Quid nobis quærendum eſt, niſi placere Deo, noſque illius beneplacito ſubjicere? Dubitare num poſſumus, utrum illi placeamus, cum videt nos propter illius amorem ex toto corde noſtro ad ea ferri exercitia, quæ nos humiliant, atque proprium amorem noſtrum mortificant? Relinquamus ergo Mundum in erroribus ſuis, inanibus cogitationibus ſuis paſcatur. Solidum bonum quæramus: id unum ſollicitos nos teneat, videlicet ut Deo placeamus; cætera vero tamquam nihilum, & fumum reputemus. Poſtquam in rebus minimis uſi fuerint opera noſtra permittet fortaſſe Providentia, ut nil tale quærentes attollamur, & ad majora promoveamur. Sed tunc caveamus ne in alterum extremum incidamus. Ne ſimus ex eorum numero, qui queruntur, qui murmurant, qui minoribus difficultatibus deterrentur. Servemus ſemper eumdem ſpiritum docilitatis, & eumdem ardorem obedientiæ. Principium noſtrum ſit, delectari obedientia quoniam perſuaſum nobis eſſe debet obedientiam virtutem eſſe Chriſtiano utiliſſimam. *Idem.*

Glorioſum eſt homini exercere obedientiam. Prov. 22.

Homo nihil efficere poteſt majus, & ſe dignius, quam ſeipſum vincere. Obedientia vero inter virtutes cæteras efficit, ut de nobis glorioſam victoriam referamus: *Vir obediens loquetur victorias*. Valor, & fortitudo, quibus adverſario præſtamus, ſunt nobis cum brutis communia: non ergo de illis admodum gloriandum eſt; ſed gloria vere ſolida eſt vincere ſemetipſum obediendo, quia per hoc oſtenditur cor noſtrum, & imperium quod habemus in ipſum. Homo, qui ſubmittere neſcit voluntatem ſuam obedientiæ, ſervus eſt, cui ſuæ dominantur cupiditates, quibus ipſe dominari deberet. Licet ergo obedientia non alias haberet illecebras, quam gloriæ de ſuimet ipſius victoria relatæ, hæc una ratio nos deberet impellere ad hilariter, celeriterque obediendum. Cæterum ut obedientiæ gloriam, meritumque habeamus non ſatis eſt per ignavum timorem, vilemque utilitatem obtemperare: propter rationem, ac officium obtemperandum eſt. Talis eſt hominis Chriſtiani Obedientia, & ad illum præcipue ea pertinent verba: *Vir obediens loquetur victorias. P. Segneri in meditationibus.*

Vir Obediens facile victoriam referet de carne, mundo, & dæmone.

Si ſapienti dicere ſatis eſt, quod qui in obedientiæ virtute perfectus eſt, *loquetur victorias*, non putes ideo unam tantum ab illo victoriam relatum iri; ſed aliæ ejuſdem victoriæ referuntur ad illam, quæ eidem ſubjicit propriam voluntatem, tamquam cæterarum difficillimam. Nam quicumque eſt ita ſuæ voluntatis dominus, ut eam in omnibus accommodet voluntati Superioris ſui, non invenit amplius occaſiones pugnandi, unde non redit victor. Non caro, non mundus, non dæmon illi amplius ſunt terribiles inimici. Vir obediens non cedet rebellionibus carnis: Quomodo enim vinceretur ab hoc mancipio, quandoquidem novit vincere ſuam voluntatem, quæ carni eidem imperitat, & quæ maxime difficilis eſt ut redigatur? Cæterum Sancti teſtantur remunerari Deum perfectam ſubmiſſionem Superiorum imperiis pleniſſima poteſtate ſuper carnis deſideria. Qui vult partem inferiorem ſibi ſubmitti, ſemet ſuperiori ſuo ſubmittat, Sanctus Auguſtinus inquit. *P. Segneri in Meditationibus.*

S. Auguſt. in Pſ. 43.

Ejuſdem argumenti.

Donec primus hominum parens Deo paruit, ipſos etiam primos cupiditatis motus ignoravit; e contra vero ſibi parere noluit, vehementes ejuſdem impetus expertus eſt; quod indocili uſuvenit inferiori, Sanctus Auguſtinus addit. Non obedis Superiori tuo, vapulabis a ſervo, videlicet cupiditate tua: & juxta Apoſtoli phraſim: ſentietur a vobis non tamquam periculum, quo Deus inſignes etiam ſanctitate viros probat, ſed tamquam pœna particularis veſtræ inobedientiæ debita, tamquam fons tentationum, quibus ægre reſiſtere poteritis. Homini obedienti nihil metuendum eſt ex parte Mundi, quia inde illi nihil ſperandum eſt. Quid enim præ cæteris in mundo quæritur? Aliis eminere, a nemine pendere. Sed cum nobis legem irrogamus iis obediendi, qui Dei vicem gerunt in terris, nulla habita ratione vitiorum, aut talentorum eorumdem, ſed unice *propter Deum*, quemadmodum præcepit Sanctus Petrus; non tangimur ultra deſiderio aliis præſtandi, quod præcipuum objectum eſt ambitionis humanæ. Homini obedienti nihil eſt metuendum ex parte dæmonis: Cum aliis virtutibus pugnamus contra dæmones, Sanctus Gregorius ait, ſed cum obedientia, cum voluntate perfectæ ſubmiſſa ſuperioribus noſtris certi ſumus nos de illis victoriam eſſe relaturos. Itaque in Aſceticis hoc certum eſt principium, cum quis proprium ſequitur judicium, ſexcentis illuſionibus eſſe obnoxium; cum vero qui ſequitur ſui Superioris conſilium, tutum eſſe ab inſidiis Spiritus tenebrarum. *Verbum obediens Filius extra perditionem erit. Idem ibidem.*

1. Petr. 2.

Greg. in 1. Reg. 10.

Per Obedientiam de vitiis omnibus triumphemus.

Quoniam victoria, quam de nobiſmet per obedientiam referimus, efficit, ut de reliquis triumphemus; in vita ſpiritali nobiſmet potiſſimum proponamus de propria voluntate noſtra referre victoriam. Hinc omnes pendent eventus noſtri; in hoc omnes niſus noſtros impendamus. *Non pugnabitis contra minorem, & majorem quempiam*, dicebat Rex Syriæ delectis Militibus ſuis, *niſi contra Regem Iſrael ſolum*. Unius Achab captivitas, vel mors, nobis omnimodam cladem exercitus ejus pollicentur. Quam parum cognita eſt hæc hominis Chriſtiani gloria, qui ſe ipſum vincere novit, ut voluntatem ſuam ſuo obedientiæ jugo ſubmitteret! Hæc quidem ex omnibus gloriæ ſpeciebus illa eſt, quæ homini maximo ſtat pretio. Sed quam utilis etiam eſt hæc victoria, quam Chriſtianus de ſemetipſo refert per obedientiam! quam requiem, ſuavitatem, ſecuritatem illi procurat! Maxime formidabiles inimici tales eſſe cenſentur illi. *Pater Segneri in Meditationibus.*

De Obedientiæ felicitate.

Per obedientiam quodammodo iterum acquiro jus illud, quo Primi Parentis mei culpa ſpoliatus fuerat; prout voluntatem meam voluntati hominis ſubjicio, ſentio per divinæ Miſericordiæ Spiritum in me deſideria carnis infirmari. Non audet ultra ſervus in me rebellare, cum ipſa etiam domina obedit. In hoc meam gloriam conſtituens, ut obtemperem propter Deum homini vicem illius gerenti, contemno inſanam ambitionem filiorum ſæculi, qui in eo gloriam ſuam collocant, ſi aliis dominentur; & nihil ſupereſt Mundo, in quo me tenet. Fideliter ſecutus motum, quem mihi infert obedientia, ſpiritum tenebrarum non reformido; hic me ſeducere non poteſt. Viam, quam mihi Superior oſtendit, ſequi me oportet; quidquid illi mihi faciendum imperat, illud eſt, quod a me fieri Deus vult. Plena hæc victoria hominis obedientis, nonniſi opus tuum eſt, Domine; quandonam gloriari potero, me illam a te obtinuiſſe, & tibi gratias agam? Quandonam optime callens artem vincendi per obedientiam, hanc utiliter edocere potero? ita eſt, Domine; certus ſum, me tua facturum imperata, & acceptum fore in oculis tuis, memet ſubjiciendo regimini eorum, quibus me ſubjeciſti, cum nihil legi tuæ contrarium præcipiunt. Cœcus ergo, & nocens eſſem, ſi crederem licere mihi ſequi alia lumina; hoc quippe eſſet alios præter te Deos conſulere. Ad unum te pertinet, Deus, normam eſſe actionum mearum, ſive per te, ſive per illos, quos mihi præfeciſti, ut me deducerent. Quomodo ergo auſim, ſola mea lumina, ſolamque voluntatem meam in ducem accipere? Hoc ſane eſſet mihi eum honorem vindicare, qui tuus eſt; hoc eſſet ex voluntate mea idolum mihi confingere, a quo tantum penderem: quod ſcelus! Hodie dico tibi, Domine, in eorum omnium perſona, quos ſupra me conſtituiſti: Domine quid vis me facere? Non aliam deinceps habere volo voluntatem, niſi tuam, ideoque & illorum. Falli fortaſſe poſſent præcipientes id, quod in ſe minus eſſet bonum; ſed illis obediens id facio, quod mihi eſt optimum. *P. Segneri in Meditationibus.*

Re-

Perfecta Filii Dei obedientia noſtræ eſſe debet exemplum.

Rerum omnium perfecta abdicatio in qua vult vivere Dei Filius in hoc Mundo, eſt proprie principium, fundamentum, & exemplar perfectæ obedientiæ, ſine qua nemo poteſt excellere in hac virtute, quæ appellari poteſt virtus Filii Dei. Etenim quomodonam homo propriæ inhærens voluntati, ac proprio judicio, alienæ ſe ſe ſubmittat voluntati, & regimini? Angeli, qui ſemper parati ſunt ad Dei mandata facienda, quemadmodum Propheta animadvertit; non obediunt illi tanta cum alacritate niſi quia intime cum illo conjuncti ſunt, & eumdem ſpiritum habent; eaſdem habent propenſiones, eamdemque voluntatem. Quod vero obedientiam mirum in modum commendat, eſt intima conjunctio illius a nobis cum Salvatoris ejuſdem voluntate facienda. Hoc totum conſtituit pretium illius obedientiæ quam præſtamus perſonis illis, quibus nos natura, vel fortuna ſubjecit; ad imitationem illius quam Salvator præſtitit Patri, reddens ſe ſubditum Matri Sanctiſſimæ, & Sancto Joſeph, quemadmodum Evangeliſtæ teſtantur. *Cardinalis Bellarminus de ſeptem verbis Domini in Cruce.*

Obedientia ſemper eſt cum merito conjuncta.

Nonne inſigne bonum eſt poſſe in ſingulos dies recentia merita acquirere? Qui vero nihil facit per propriam voluntatem, ſed in rebus omnibus paret ſuperiori, offert in ſingula momenta novum ſacrificium acceptius Deo præ illis, in quibus olim victimæ jugulabantur. Cauſam adfert Sanctus Gregorius. Per victimas, ait ille, aliena caro immolatur; ſed per obedientiam ſua voluntas ſacrificatur. Quod vero adhuc admirabilius eſt, ſi ſuperior aliquid præcipiens peccaret, inferior non ideo minus mereretur, mandatis obtemperans; dummodo nihil illi præciperetur, quod palam eſſet malum. Jeremias Propheta dicit, *Bonum eſt viro, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua: ſedebit ſolitarius, & tacebit*, videlicet vera interiori pace fruetur; cum enim abſolute propriæ voluntati ſacrificaverit, ut divinæ adhæreat ſuperiori obediens, liber eſt ab omni ambitione; nihil ſibi proponit, nihil vult, nihil requirit præter Deum. Ita dici poteſt Religioſum in frequentiſſima Communitate ſolitarium eſſe; quia unam tantum habens, eademque cum Superiore voluntatem, quodammodo una tantum perſona ſunt. Et quilibet haberi poteſt tamquam ſolitarius, habens, ut ita dicam, unum cor, & animam unam. *Cardinalis Bellarminus de ſeptem verbis Chriſti in Cruce.*

Thren. 3.

Perfecta obedientia innititur humilitati, & amori contemptus. Ad Heb. 5.

Si Dei Filius didicit obedientiam, quod Sanctus Paulus teſtatur: ideo didicit, ut eam nos doceret, ſimulque oſtenderet perfectam obedientiam in humilitate, & mortificatione eſſe fundatam. Qui enim obedit ſuperiori ſuo in rebus, quæ ſibi arrident, & eniteſcunt, relinquit dubitandi occaſionem, utrum virtutis cauſa, an alia quapiam ratione operetur: ſed qui celeriter, & alacriter obedit in abjectiſſimis, difficillimiſque miniſteriis, oſtendit ſe eſſe ex Diſcipulis Salvatoris, & ſe ab illo verum obedientiæ ſpiritum accepiſſe. Sanctus Gregorius eximie explicat diſcrimen illud, quod inter veram, fictamque obedientiam intercedit. Sicuti evocamur, ait ille, nonnumquam ad officia ſuavia, & ſpecioſa; nonnumquam ad aſpera, & humiliantia: nobiſmet perſuadere debemus obedientiam aliquando nullius eſſe meriti, cum ſe ſe illi commiſcet propria voluntas; & licet propriæ voluntatis omnino ſit expers, meritum tamen non ſemper tantum eſſe exiſtimandum. Cum, exempli gratia, conatur aliquis honorem ſuſcipere, qui illum in terris inſignem effecturus eſt: ſi hic non aliud ſibi proponit, quam elationem, ac dignitatem; ſi propriam dumtaxat reſpicit gloriam, hic non habet obedientiæ virtutem; quia ille qui in honorificis muneribus ſuis nil aliud quærit, quam ambitioni ſuæ ſatisfacere, hic proprie obediens non eſt. Quod ſi e contra ſe redactum videt in ſtatum, in quo ſibi invito ferendæ ſint humiliationes, & opprobria: in hoc non ſunt multa merita, niſi humiliter, & ex corde ſeſe illis ſubjiciat, quia in mundo nulla eſt vera obedientia, ubi non eſt verus amor contemptus. *Cardinalis Bellarminus de ſeptem verbis Domini in Cruce.*

Lib. 35. Moralium.

Vera obedientia nonniſi minuta amat officia majora vero ægre ſuſcipit.

Ut perfecta ſit obedientia hilariter amplectatur oportet, quod humillimum eſt, & ægre, quod eſt ſublime, ut in humiliatione, quo magis ſubjecta eſt Dei voluntati, eo majorem laudem mereatur, & in elatione, quo majorem ſentit repugnantiam honori, qui ſibi defertur a Deo, eo magis ſe ſinceram oſtendat. Quod de hac virtute dicimus, mirum in modum ex iis liquet, quæ olim illuſtres duo Servi Dei operati ſunt. Moyſi paſcenti pecora ſoceri ſui in deſerto, apparuit Angelus in rubro ardenti, eique præcepit, ut ſuſciperet regimen populi Iſrael, quem Deus de Ægypti ſervitute ſubducere moliebatur. Sanctus hic vir de ſe humillime ſentiens, ſeque oblato munere indignum exiſtimans gravi terrore percitus trepidavit. Domine, audias me quæſo. Numquam hac præditus ſui loquendi facilitate: & ex quo tu ipſe alloqui dignatus es, tardioris, impeditioriſque linguæ ſum, quam antea. Dominum deprecatur, ut alteri cuipiam hanc credat provinciam; ſe balbutire dicit, ut ab honore populi regundi ſe ſubtrahat. Sanctus Paulus cœlitus juſſus fuerat ſe ſe Jeroſolymam conferre, quemadmodum in Epiſtola ad Galatas de ſe ipſe teſtatur. Secus viam obviam fit illi Agabus Propheta, qui Apoſtoli zonam arripiens, eaque pedes ſuos vinciens portendit ei, futurum ut ita Jeroſolymis vinciretur. Statim Sanctus Paulus reſpondit ſe paratum eſſe non ſolum ut ſe vinciri, ſed etiam necari permitteret propter Nomen Jeſu Chriſti. Ex duorum horum inſignium ductorum populi Dei exemplo videmus, ſi perfectæ obedientiæ præmium obtinere cupimus, nobis non eſſe recipienda majora munera niſi quia cogimur, minima vero ex animo, & alacri voluntate eſſe accipienda. *Cardinalis Bellarminus. De ſeptem verbis Domini in Cruce.*

Obedientia cæteras virtutes ſuperat, ſine illa cæteræ acquiri non poſſunt.

Obedientia licet non adeo eniteſcat, ut virtutes cæteræ, non ideo tamen minus habet meriti quam aliæ; nam præterquam quod earum mater, & altrix eſt, atque earum vitam, quam ipſa illi procuravit, tuetur; videtur eſſe virtus generalis, reliquas continens; ob quas poſſidendas ſatis eſt obedientiam acquirere. Cum quodvis peccatum ſit rebellio contra Deum, quælibet virtus eſt divinæ voluntati ſubmiſſio. Quamobrem Sanctus Gregorius dixit Obedientiam ſecum inferre virtutes omnes in animam, eaſque ibi tueri, donec ipſa quoque in eadem commorabatur: Illam habere meritum fidei; & quicumque illius jacturam faceret infidelitatis redargutum iri, licet adhuc in ſpeciem fidelis eſſe videretur. Hoc ipſo privilegio fruitur ſuper virtutes reliquas, quod univerſale ſacrificium eſt, quo homo totus Deo immolatur. *In Panegyrico Sancti Mauri Patris Senault ex Oratorio Tomo primo.*

Submiſſio quam homines habere debent voluntati Dei.

Homines miſeri non ſunt, niſi quod nequeunt omnibus vitæ ſuæ caſibus moderari, quod plura eveniunt in Mundo, quæ eorum voluntatem laceſſunt, & requiem perturbant. Sed verus obediens expers eſt hujus turbæ; cum voluntas illius cum Dei voluntate conjuncta ſit, quæ rerum omnium eſt regula, nihil illum affligit: omnes vitæ ſuæ caſus accidunt juxta ipſius deſideria, & jactare poteſt, reliqua ſibi obtemperare, quia obtemperant Deo. Quod motila igni ferroque depopuletur Italiam, quod terrorem inferat late in Provincias, quod Monti Caſſino Tinitetur furorem armorum ſuorum, quod Sancti Benedicti Diſcipulis terrorem incutiat carceris, vel exilii, Sanctus Maurus tranquillus eſt inter procellas, & ſciens hæc omnia evenire non poſſe niſi permittente Deo, neque timebit, neque trepidabit, cum acciderint. *Idem.*

Hominis poteſtas ſita eſt in illius obedientia.

Error inſignis eſt arbitrari potentiam noſtram a noſtra libertate pendere, & nos numquam magis eſſe noſtrummet compotes, quam cum facimus, quidquid nobis arridet. Vera hominis poteſtas in ipſius obedientia ſita eſt, & ille ſemper inveniet ſubmiſſionem in ſtatu ſuo, & in perſona, in affectibus ſuis, & in creaturis cum ſubditus erit Deo: & ſi dicit Scriptura hæc omnia eſſe poſſibilia credenti, non potiori jure dicere poſſumus omnia eſſe poſſibilia obedienti; quapropter perfectus noſter obediens nullam inveniebat in ſenſibus ſuis rebellionem, neque defectionem in affectibus, utriſque obtemperantibus ſpiritui, quia ſpiritus obediebat Deo; & poterat affirmare, ſe auctoritatem ſuam obedientiæ ſuæ meritis tantum debere. Sanctus Iſidorus animadvertit carnis noſtræ defectionem juſtam eſſe pœnam inobedientiæ noſtræ, & alteram hominis partem ab altera defeciſſe tunc tandem, cum Superior ab eo exciderat cultu, quem ſuo creatori debebat; & idem addit, nos auctoritatem hanc reparare non poſſe niſi per ſubmiſſionem; creata omnia nobis obtemperatura, ſi ipſi obtemperaverimus illi, qui illa noſtro ſubjecit imperio, & carnem ſpiritui, & cupiditatem rationi nequaquam ſubditam fore, niſi ratio & Spiritus Deo fuerint ſubjecti. *Idem.*

Magna Dei punitio, hominem tradere ipſius voluntati.

Homo, Sanctus Auguſtinus ait, ſibimetipſi per ſuperbiam complacuerat. Dei juſtitia ut in illum animadvertat pœna, quæ congruat criminis enormitati, illum ipſimet tradit. Hæc igitur terribilis eſt punitio, hæc igitur ſevera eſt Domini ultio, voluntati derelinqui. Qui paratus eſt ad obediendum, non timet,

met, ut hac pœna plectatur. Cum decrevit ille, ſuæ non hærere voluntati, nullus timendi locus eſt, Deum ad illum puniendum propriæ ejuſdem voluntati relinquere. Quantæ igitur utilitatis eſt obedire, quia obedientia tuetur hominem a rigoroſo hoc ſupplicii genere, quo nihil nobis terribilius accidere poteſt, dum hac vita vivimus. Salutares hoſce effectus, obedientiæ conſiderantes cohibere nos poſſumus, quin clamemus, toto cœlo utilius eſſe ſubeſſe, quam præeſſe? Obedientes, quam felix eſt veſtra conditio? illius felicitatem agnoſcite; neque contendite ex veſtro egredi ſtatu; Domino gratias agite, qui vos in eo collocavit, & intelligite, quantum vos ideo debeatis illi. Nihil magis timendum eſt, quam ſuperiores loci, in quibus auctoritate ornatus quis ſedet. Edocemini Sanctorum exemplo. Illi delituerunt, fugerunt, & dignitates eſſe onus grave arbitrati ſunt. Quid ergo potiſſimum extimuerunt? Hoc nempe, quod noverant valde periculoſum eſſe imperare, & præeſſe. Vos imperare vultis & quod Sanctos deterruit, vobis timorem non ciet. *Ex Sermonibus de Vita Eccleſiaſtica Lambert. Tomo 2.*

Nihil a Dei voluntate ſabnorme eſſe poteſt rectum.

Regius Propheta Deum rogabat, ut ſpiritum rectum innoveret in viſceribus ſuis; ut autem ſpiritus rectus ſit, ſeſe conformare debet voluntati Dei tamquam primæ regulæ directionis. Creaverat Deus hominem rectum, Sacer Textus ait; ſed illo recedente a Creatoris ſui voluntate, ſpiritus illius amiſit ſuam rectitudinem, curvatus eſt erga concupiſcentias, & inclinatus eſt in conſiderationem, & perquiſitionem amoris proprii in iis omnibus, quæ facienda proponit, & quæ facit. Si vult ergo illum dirigere, omnes voluntates ſuas divinæ voluntati ſubmittere debet, ab illa ſemper nutum præſtolari, illiuſque mandata capeſſere. Dei quippe voluntas eſt ſceptrum directionis, ſecum deferens oculum. Hæc cum prævisione deducit, præcipit cum conſideratione, & regit ſine perturbatione. Cum igitur intellectus Dei ſit regula, & norma, ut ita dicam, totius veritatis, quin in re quapiam errare poſſit; voluntas etiam illius eſt regula omnis bonitatis cum rectitudine adeo inflexibili, ut nequeat umquam ne in leviſſimum quidem malum inducere; & ſicut nihil inveniri poſſit ejus intellectui conforme, quod abhorreat a veritate; ita nihil eſſe poſſit voluntatis ejuſdem objectum, quod rectum non ſit. *P. Antonius de S. Antonio a Porta.*

Chriſtianus debet ſeipſum in omnibus conformare divinæ voluntati.

1. Reg. & Pſ. 88.

Chriſtianus vitam ſuam ita debet inſtituere, ut a Dei voluntate nequaquam diſcordet. Hæc illius mens eſſe debet, ut rebus in omnibus nil velit niſi perfectum divinæ hujus voluntatis complementum, & Dei beneplacitum; ſatis beatus ſi pervenire valeat ad ejus ſtatus ſanctitatem, in quo erat Propheta, de quo dixit Deus: *Inveni virum ſecundum cor meum*, qui faciet omnes voluntates meas. Huc adſpirat homo vere Chriſtianus; ut Dei voluntas in ſe adimpleatur in omni ea perfectione, quæ maxima valeat excogitari; non ſolum in ſuperiori animæ ſuæ parte, omnibuſque facultatibus ejus, verum etiam in parte inferiori. Fiat, o Deus, voluntas tua in nobis, qui ſumus ſuper terram, quemadmodum fit in Cœlo, ubi es. In Cœlo minime offenderis, gratiam nobis concede, ut ne in terra quidem te offendamus. Rebus in omnibus obedientia tibi præſtatur in Cœlis; fac, ut eadem cura tibi famulemur in terris. Summa dilectione in Cœlo amaris, fac, ut ſimiliter te diligamus in terra. Sanctus amor tuus imperioſe regnet in omnibus animæ noſtræ facultatibus, in memoria, in omnibus ſenſibus noſtris, in voluntate noſtra, in noſtro intellectu. Sit ille unicum principium omnium actionum, deſideriorum, affectuumque noſtrorum. *Modus recitandi Orationem Dominicam & Recens Auctor.*

Præcipuum officium noſtrum eſt facere voluntatem Dei, quomodo Sancti efficiunt in Cœlo.

Efficere debemus ita, ut Dei voluntas ſemper perfecte adimpleatur in nobis, & per nos ſuper terram, & ita adimpleatur, ut adimpletur in Cœlo, ubi ſemper modo conſtanti, immutabili impletur, quin quidquam interpolare, ſuſpendere, differre, aut facere poſſit, vel uno momento negligatur illius complementum; ubi ſemper illi præbetur ſuprema prælatio, quin aliquid comparetur cum illa; ubi univerſa in omnibus illi obtemperant, quin ulla detur exceptio, reſervatio, reſtrictio. Concede nobis, Domine, gratias, quæ ſunt neceſſariæ, ſine quibus non poſſumus unquam adimplere voluntatem tuam; hæc enim unica ratio eſt tibi placendi, ſine qua in periculo verſaremur, ut in æternum ab aditu in æternum Regnum tuum prohiberemur. *Modus recitandi Orationem Dominicam.*

Hac in re ſequi debemus peculiare S. Pauli exemplum.

Nemo Fidelis eſt, qui Sancti Pauli exemplo dicere non debeat Deo: *Domine, quid me vis facere?* Neque ſatis eſt hoc dicere initio converſionis ſuæ: deinceps in vita ſæpius repetenda eſt hæc interrogatio: voluntas enim propria, quæ in nobis mortua non eſt, conatur ſemper ſuum reſumere imperium, ac inde eliminare regnum voluntatis divinæ. Optanda ſemper eſt divinæ voluntatis cognitio; hanc enim ignorantia noſtra in ſingula momenta nos celat. Optandum ſemper eſt eam ſequi, quia concupiſcentia noſtra non ceſſat quin minus illam a nobis amoveat, ut ad illud, quod ipſa diligit, bonum nos impellat. Sed ne hoc deſiderium, & hæc oratio, qua cognoſcere quærimus Dei voluntatem, ut ſequamur illam, non ſit ſterilis, & in ſimplici conſiſtat imagine, ſine effectu; prodeſt ſerio meditari, quid ſit ſequi voluntatem Dei, & quomodo in omnibus vitæ caſibus hoc munus Chriſtianæ vitæ ſit exercendum. Ad id autem ſcire opus eſt, quid ſit hæc Dei voluntas, quam volumus ſequi. *Ex Speciminibus Ethicis.*

Noſmet offerre debemus ad ea facienda quæ Deus vult ſine exceptione.

Sanctus Paulus generatim petit a Deo, ut ſibi ſuam voluntatem aperiat. Petitioni huic nulla adhæret exceptio. Nihil excipitur. Offertur Deo cor ad omnia illius imperia exequenda paratum. Ubi docemur, cum a Deo petimus, ut voluntatem ſuam nobis reddat perſpectam, ſincerum habendum eſſe deſiderium eam totam agnoſcendi; & nullam eſſe debere in cordibus noſtris exceptionem, qua optemus illam aliqua in re non cognoſcere, ne credamus teneri eam adimplere. Hoc enim unum eſt ex maximis, & frequentiſſimis hominum vitiis, nolle exploratam habere Dei voluntatem, tunc etiam cum ferventius illius cognitionem a Deo videntur exquirere. Nobis omnibus fere quædam ſunt vitia, quibus parcere volumus, & quæ Deo ipſi abſcondere nitimur, licet nequicquam, æque ac nobis. Hinc Sanctus Paulus non cupit ſolum, ut Dei veritatem Coloſſenſes agnoſcant, ſed ut *impleantur agnitione voluntatis ejus*. Videlicet ut nullæ ſint in eorum mentibus, cordibuſque ſecretæ latebræ quo divinum hoc lumen non permeet, & ut ſemper ſint clauſæ voluntariis affectibus, qui prohibent, ne Deus illas repleat ſuo lumine, & gratia. *Ibidem.* — *ad Coloſſ. 1.*

Primum pietatis officium Dei voluntatem agnoſcere.

Nullum magis naturale pietatis eſſe videtur officium, quam ſeſe offerre Deo, ut olim Sanctus Paulus ad illius voluntatem quotidie adimplendam; petere ab illo gratiam illius cognoſcendi, prævidere actiones noſtras; illis moderari ſecundum lumina, quæ nobis præbet Deus, & hunc rogare, ut nobis vim tribuat adimplendi quidquid ipſum velle cognoverimus. Neque enim ſatis eſſe debet generatim a Deo petere, ut nos de officiis noſtris illuminet; ſed conſulendus eſt etiam de ſingulis actionibus noſtris, idque non ſolum de exteriori actionum noſtrarum ſpecie, ſed de interioribus, & ſpiritu, quo faciendæ ſunt, ut per diei decurſum conemur illa adimplere ſpiritu eodem, ſemper parati ad illius voluntatem rebus in omnibus ſequendam. *Ibidem.*

Amor divinæ voluntatis efficere debet, ut omnem amoris proprii regulam ſequamur.

Si divinæ voluntatis amor efficit ut in iis, quæ neutra ſunt, ordinem, & æqualitatem præferamus perturbationi, & inæqualitati: hoc idem deſiderium rebus in omnibus ſequendi voluntatem Dei, abrumpit omnem affectum praxeos eorum exercitiorum quibus conſuevimus, & gignit in nobis flexibilitatem ad illa mutanda ubi velit Deus; quia pro ſcopo nihil habentes niſi obedire Deo, æque contenti eſſe debemus, cum æque invenimus media obedientiæ hujus exercendæ. Quamobrem quamcumque nobis in iis rebus, quæ in nulla ſunt differentia, normam præſcripſerimus, parati eſſe debemus ad eam relinquendam iis in occaſionibus, in quibus Deus ſignificat ſe aliquid a nobis velle. Per hanc flexibilitatem homines, qui ſtudium amant, non ceſſant accurate colloquiis indulgere, quæ non diligunt, ubi id poſtulet Charitas, amittunt aliquo pacto tempus ſuum, cum vult Deus illos hoc amittere; haud ægre relinquunt opera ſua, cum vult Deus hæc ab illis relinqui; nulla certa ſibi figunt conſilia, ac ſemper ſeſe tenent in manu Dei iis rebus vacaturi, quas ſibi acceptiores eſſe Deus illis ſignificaverit. *Ibidem.*

Qui ſuperiore carent non ita facile Dei voluntatem cognoſcunt.

Cum Dei voluntas nonnumquam ſumma cum difficultate exploretur, ac ſæpe propria voluntas noſtra in divinæ locum ſubrogetur; Sancti hanc invexere ſubjectionem ſuperiori ut in rebus omnibus, quæ neutræ ſunt, facilius ſtatueremus, efficiendo Dei voluntatem nobis magis manifeſtam; quia certum eſt, velle Deum, eos, qui religioſam vitam amplexi ſunt, in his obediant Superioribus ſuis; cum e contra, qui nullos habent Superiores, difficilius illius vocem dignoſcant. *Ibidem.*

Dei voluntas noſtram conſtituit felicitatem in terra ſicuti Beatorum in Cœlo.

Divinæ voluntatis intuitus veram Fidelium in terra pietatem conſtituit, conſtituetque æternam Beatorum felicitatem in Cœlo. In hac conſiſtit torrens ille deliciarum, quo inebriabuntur. Summa enim eorum voluptas erit, non habere aliquid amplius in ſe, quod Divinæ voluntati adverſetur, & huic eſſe perfecte ſubjectos. Eorum gloria erit, quod hæc Divina voluntas ſemper in illis adimpleatur; & hoc pacto charitas eorum omnino pura erit; quia non referent Deum ad ſe, ſed ſe referent ad Deum, & nonniſi Deum in ſe ipſis amabunt. Quapropter Sanctus Auguſtinus exprimens ſtatum Sanctorum in Cœlo, inquit, illos ſeſe jugiter annihilaturos coram Deo, præferentes illius beneplacitum ſibimetipſis æterna charitate. *Ibidem.*

Quomodo noſmet debeamus conformare voluntati Dei.

Daniel. 3.

In omnibus moleſtis eventibus, in omnibus ærumnis, publiciſque calamitatibus, ecce præter propter quomodo cogitandum ſit, & loquendum: *Omnia quæ feciſti nobis, Domine: in vero judicio feciſti.* Gratiæ tibi agantur, Domine, propter ea, quæ nobis incidunt adverſa. Quantumvis ſeverum ſit ſupplicium, peccata noſtra longe gravius merentur, ſemperque mitius animadvertes in nos, quam ſcelera noſtra requirant. Ipſi auctores ſumus procellæ, propter quam lacrymamur; ipſi manu tua, ut ita dicam, ponimus flagella, propter quæ tot lacrymarum imbres effundimus. Morbi populares, mortes inopinæ, miſeræ inopiæ, bonorum jacturæ, afflictiones, paupertates, amaritudines: ex proprio fundo exurgunt vapores maligni, ex quibus hæc tela conflantur. Sed in noſtra humiliatione tuam gloriam poſſumus invenire: *Sed da gloriam nomini tuo. Pater Croiſet in Aſceticis Exercitat. Tomo 5.*

Elementa nos docent ſequi in omnibus Dei voluntatem.

Homo compeſcere debet propriæ voluntatis motus, & intueri, quid agat mare, veluti exemplum infinitæ illius obedientiæ, quam debet Deo. Si aquæ omnes ſuper terræ faciem fluentes influunt in mare, quæ hujus Elementi ſedes eſt; hinc intelligere debemus omnes cogitationes noſtras in Deum tendere debere, qui fons eſt omnis intelligentiæ; & cogitationes, quæ ab hoc aberrant ſcopo, quantumvis ſolidæ videantur; ſimiles eſſe fluctibus illis, quos mare recedens relinquit in littore, & quos ventus, & ſol momento diſpergunt. Si primum mobile rapit quotidie ſub oculis noſtris ab ortu in occaſum omnes cœleſtes orbes; hoc fit, ut intelligamus primam voluntatem ſecum rapere debere omnes hominum voluntates, & minimam, quæ ab illa recedit, parere inverſionem admirabiliorem in ordine Spirituum, quam pareret lapſus ſyderis alicujus in ordine rerum materialium. *Septimus Sermo Accademiæ anni 1675.*

Chriſtianus non aliam habere debet actionum ſuarum normam quam Dei voluntatem.

Quæ cauſa eſt, ut Chriſtianus homo reſpiciat alios homines tamquam totidem ſemetipſos, mali eorum miſereatur, illorum infirmitates ſuſtineat, noxas excuſet, pro illis omnem habeat lenitatem ac indulgentiam, quam alios erga ſe habere deſiderat? Eſt Dei voluntas, eſt hoc Filii Dei mandatum; *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Hæc eadem voluntas efficit, ut non renuat probare etiam cum ſuæ vitæ periculo, integerrimæ amicitiæ veritatem, & neque diſſimulationem, neque invidiam, neque avaritiam cognoſcat. Hac eadem divina actus voluntate amicis ſuis generoſa præſtat officia; proſperis eorum caſibus lætatur, dolet adverſis, in eorum funere fundit lacrymas, quarum pietas novit Deo feliciſſimum ſacrificium offerre. Ita ſe gerit Chriſtianus, qui pro omnium actionum ſuarum objecto puram habet Dei voluntatem. *Septimus Sermo Accademiæ anni 1675. & Recens quidem.*

Ut noſtræ intentiones & puræ ſint, divinæ voluntati ſunt conformandæ.

Integra conformitas humanæ voluntatis cum divina, vel potius ſubrogatio divinæ in locum humanæ veram facit cordis unionem cum Deo; ſimulque perfectionem vitæ noſtræ in hoc mundo. Ne quæramus alibi puritatem dignam nomine Chriſtiano, quod gerimus: cor purum, & intentio recta tuto diſtingui non poſſunt, niſi per obedientiam voluntati Dei, & per fidelem mandatorum Dei executionem. Dei voluntas eſt origo moralis rectitudinis noſtrarum cogitationum, deſideriorum, actionum. Hæc unica eſt regula, & innocentiæ cordis noſtri, & juſtitiæ operum noſtrorum. Hæc ubicumque invenitur, naturam boni conſtituit. Antiquior eſt ipſa virtute, quam etiam in omnes hominum actiones introducit. Denique Deus proprie non vult res, quia juſtæ ſunt; ſed juſtæ ſunt, quia illas vult Deus. De cordis noſtri diſpoſitione judicemus ex ſubmiſſione, quam habet æternæ huic legi, quæ omnibus judiciis præeſt, & ſola de vera integritate dijudicat. Cupimus ne ſcire, utrum conſilia noſtra ſint pura, & intentiones noſtræ ſint rectæ? Videamus utrum Dei voluntas inveniatur in illis, utrum Spiritu ejuſdem animentur: & certi ſimus noſtram cum divina voluntate conformitatem tunc ad altiſſimum ſuæ perfectionis apicem evaſuram, cum dicere poterimus una cum Sancto Paulo: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus. Sermo tertius Accademiæ anni 1677.*

Adimplere in omnibus Dei voluntatem vera dici poteſt vocatio.

Ut Deo placeamus, opus eſt, velle omnia in eodem ordine, quo illa vult Deus; quia voluntas illius eſſe debet noſtra regula, quemadmodum fuit principium omnium bonorum. Hinc vir juſtus numquam metietur conditionem ſuam ex ſua pietate; ſed reget ſemper ſuam pietatem ex ea conditione, ad quam illum appellat Deus, eamque præcipue conſtituet in omnibus ſtatus ſui officiis adimplendis: non autem in tanta pietatis oſtentatione, exterioris ſpeciei reformatione, de aliorum laxitate querela, ſed in charitate, integritate, bona fide, mortificatione, humili de ſemetipſo ſenſu; non in honoris proprii perquiſitione, non in ſævitia erga alienas ærumnas, neque in omnibus vitæ ſuæ commodis perquirendis. Hæc puncta ſunt capitalia, & veluti veræ devotionis fundamentum. Quinam igitur error in inquirenda extra ſtatum ſuum vera devotione? Nonne hoc eſt proprios ſequi motus, & voluntatem, non Dei? Conditiones diverſæ ſunt, ſed omnium officiorum obeundorum obligatio ſemper eſt eadem. *P. Croiſet en Aſceticis Exercit. Tomo 5.*

Humilis ſive in dignitatibus ſive in pulvere poſitus æque ordinem Providentiæ veneratur.

Homo Chriſtianus perfecte divinæ voluntati ſubmiſſus bonum ducit, quidquid ab illa procedit. Seu Auctor ſuus effingat vas in honorem, ſeu in contumeliam, ſemper æque putat ſeſe illius potentiæ debere quidquid eſt. Si videt ſeipſum in primo ordine, meminit ſemper corruptionis illius, ex qua deſumptus fuit. Quin ideo evaneſcat, gloriam omnem, qua nitet, ad auctorem gloriæ ipſius refert; in prima ſede poſitus ſtatus ſui contentus eſt, poſitus in noviſſima, non audet hiſcere contra opificem, a quo in adeo abjectum uſum fuit deſtinatus. Conditio ſua ſemper ipſi videtur ſuperior indignitati ſuæ, & toto cœlo præſtantior nihilo, unde prodiit. Nihil requiem Chriſtiani hujus viæ perturbare poteſt. Si aliqua in eo videtur ſollicitudo, ut ad conditionem non adeo abjectam perveniat; hoc non ambitio eſt, non animi ægritudo, non libido; non agit umquam niſi in nomine Domini, a quo eum in locum evocari videtur. Nonniſi ſecundum Dei beneplacitum ſtatus variandi conſilium capit. Videtne ille conatus ſuos in irritum cedere? Æque tranquillus eſt, ac ſi omnia illi e ſententia contigiſſent. Quippe illi perſuaſum eſt Deum ipſum, a quo conſtitutus fuit eo in ordine, in quo eſt, velle ipſum in eodem permanere ob eas cauſas, quæ illi nonniſi utiles eſſe poſſunt; ſemet ſine murmure ſubmittit Providentiæ imperio ſemper in id intentus, quod ipſi eſſe poteſt utilius. Immo ſeipſum cœcum fuiſſe credit, qui voluerit de loco decedere. Æternam colit Sapientiam eo in ſitu, quem cum illa beatitudini ſuæ aptiorem exiſtimat. *Sermo quartus Accademiæ anni 1711.*

Homo qui ex omnibus creaturis deberet præ cæteris ſequi voluntatem Dei, eam minus ſequitur.

Omnia creata anima carentia faciunt, quod illas facere placet Deo; creaturæ ſenſu præditæ eas ſequuntur impreſſiones, quas dedit illis Deus in naturam: ſed homo creatus, ut illis utatur ad majorem Creatoris gloriam, utque illis imperitet, non ſolum cupiditatibus ſuis imperare non poteſt, ſed ne poteſt quidem conſilium capere ſequendi voluntatem Dei, ſuaque inobedientia ex eo, quod erat, videlicet imago Dei, illum vanitatis imaginem conſtituit. Debeat eſſe ornamentum terræ, & pervenire ad gloriam Dei, & factus eſt opprobrium mundi per abuſum omnium creaturarum, nec non inimicus Creatoris ſui, huic repugnando uſu ejuſdem rationis, & voluntatis, quæ illi conceſſæ fuerant, ut illum cognoſceret, & amaret. *Ex Sermone quinto Accademiæ anni 1675.*

In omnibus actionibus noſtris hoc ſpectare debemus unice videlicet ut Dei voluntatem ſequamur.

Fiat voluntas tua, ſicut in Cœlo, & in terra. In Cœlo Dei voluntas adimpletur in omnibus tanta cum diligentia, & alacritate, ut nulla umquam intercedat mora, tanta lætitia, ut hæc ſumma ſit obedientium beatitudo, tanta conſtantia, & immutabilitate, ut numquam ceſſaturi ſint, quominus illam in omnem æternitatem adimpleant. Debemus omnes hac in re beatos imitari, & ſumma cum celeritate, ac fervore Dei in omnibus exequi voluntatem. Nobis perſuaſum eſſe debet, noſtram ſupremam in hac vita felicitatem eſſe, ſancta Dei mandata obſervare, ſicuti obſervantur in Cœlo; *Sicut in Cœlo*; ſicut in Cœlo ſemper præſens habetur ſancta illius voluntas, quæ numquam oblivioni datur, & quæ ſemper fiet in omnem æternitatem; ita ſupremum noſtrum in hoc mundo officium eſt in omnibus ſequi divina præcepta, quemadmodum in Cœlo adimplentur. Dicere debemus cum Propheta: *Domine in æternum non obliviſcar juſtificationes tuas.* Unicum erit mihi negotium illas in omnibus ſervare, & nihil habere cordi, niſi efficere, ut obſerventur ab illis, qui erunt in poteſtate mea. *Auctor Recens.*

Pſal. 118.

Deſiderium hominis chriſtiani exequendi in omnibus voluntatem Dei.

Fiat, Domine, *voluntas tua ſicut in Cœlo, & in terra.* Uſque ad terræ centrum humiliati, opprobriis onuſti, oppreſſi malis, miſeriis, infirmitatibus, & morbis,

bis, vel ad cœlum uſque ſublati inter omnia proſperitatis, & humanæ magnitudinis bona; demum quocumque in ſtatu eſſe poſſimus, debemus ſemper eſſe ſubmiſſi divinæ huic voluntati; omnibuſque in rebus hoc eſſe debet unicum conſilium noſtrum divinam hanc voluntatem implendi, & cupiendi, ut in univerſa terra ab omnibus adimpleatur. Si tua fert voluntas, Domine, dicendum eſt nobis, humilitatem, & humiliationis amorem nobis concede. Si tua Providentia fuit conſtitutum, ut paupertatis miſerias, morbi incommoditates, omnia vitæ præſentis mala patiamur, tribue nobis vim neceſſariam ad illa ſuſtinenda, & adimplenda in iis omnibus, quæ tibi placita fuerint. *Ex modo recitandi Orationem Dominicam.*

Adhortatio ad Dei voluntatem efficiendam.

Unice per ſubmiſſionem meam, Domine, mereri poſſum eam, quam mihi deſtinas hæreditatem. Præcipe ergo quidquid tibi placet, fidelis ſervi obedientiæ adjiciam filii gratiſſimi amorem, & reverentiam. Agnoſco, Domine, quanta ſit hæc mea petitio, ſi voluntas tua in me fieri non poteſt; nequaquam paratus ſim ad capeſſenda mandata tua, & omnibus Providentiæ tuæ conſiliis acquieſcendum. Sed quocumque tibi placeat mihi, vel de me præcipere, numquam ceſſabo dicere; *Fiat voluntas tua.* Quid æquius, quam mandatis tuis obedire, o Deus? Servus obedit hero ſuo, Subditus Principi; filius Patri. Has omnes qualitates complecteris & quaſi nondum ſatis eſſent ad obedientiam meam promerendam, vis ut in ipſa obedientia meam utilitatem nanciſcar. Sed quot me adigunt cauſæ, ut memet ſubjiciam tuæ Providentiæ conſiliis? Memet illi non tradere, hoc eſt de tua Sapientia, tuoque amore diffidere; eſt me ipſum ſexcentis ſollicitudinibus torquere. Tanta eſt, Domine, bonitas tua, ut meam tranquillitatem inveniam, ubi divinæ tuæ voluntati acquieſco. Fiat igitur, Domine, divina hæc voluntas tua hic in terra, quemadmodum in Cœlo adimpletur. Omnes homines in terris, ſicuti in Cœlis Angeli adjiciant diligentiſſimæ obedientiæ voluptatibus tibi obediendi, neque alia foveant deſideria, quam tua. *Pater Segneri in ſuis Meditationibus.*

Salvator in ipſo ſuæ conceptionis inſtanti cœpit exequi Patris ſui voluntatem.

Mundi Salvator Patri ſuo obedientiam præſtare cœpit ex ipſo ſuæ Conceptionis articulo, & ſine ulla intermiſſione ad mortem uſque perſeveravit. Ubi enim anima illius creata fuit, & corpori conjuncta, uſum habuit ſuæ libertatis; repleta fuit gratia, & ſapientia, & ex eo articulo obedientiam exercuit eo modo,

Pſalm. 39.

quo Propheta per hæc verba teſtatur: *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui &c.* Quæ ſignificant primam virtutem, quam illi attribuunt Prophetæ, & quam in ſcriptis ſuis præcipue commendant, eſſe obedientiam. Quare, addit Propheta, decrevi, o Deus, in omnibus facere voluntatem tuam: Sanctam legem tuam ita diligo, ut ne umquam illius oblivio me capiat, & ut illam diligentiſſime obſervem, illam inſculpſerim in corde, imo etiam in medio cordis mei. Hic ipſe ardens amor obedientiæ elicuit aliquando ex illius ore verba hæc:

Joann. 4.

Cibus meus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me. Nam ſicuti corpus ſine cibo nequit ſubſiſtere, & hic non ſemel tantum, vel bis in vita ſumitur, ſed quotidie, & ſumitur cum voluptate; ita Salvatori nihil

Joann. 6.

ſapit, niſi exequi quod Pater ſuus illi præcipiebat. Hæc dies, noctesque tota erat illius occupatio, hæ illius erant deliciæ. Ita, ajebat ille, de cœlo non venerat, ut ſuam faceret voluntatem, ſed illius, a quo miſſus fuerat; & alibi dicebat etiam, ſe nequaquam relictum eſſe ſolum ab eo, a quo miſſus fuerat, quia

1. Reg.

ſemper faciebat ea, quæ illi placerent. Cum ergo obedientia ſit omnium ſacrificiorum præſtantiſſimum, ut nos docet Spiritus Sanctus, dicere poſſumus, omnes actiones Filii Dei eſſe tamquam totidem ſacrificia ſuave olentia, & Patri ejus gratiſſima. *Cardinalis Bellarminus in Opuſculis.*

Diverſitas occupationum Salvatoris oſtendit nobis obediendum eſſe Deo in omnibus rebus.

Obedientia Filii Dei non ſolum erat jugis, & conſtans; erat etiam univerſalis, & infinita in omni genere actionum, miniſteriorum, ac munerum; & generatim in iis quibuſcumque rebus Pater ab illo poterat deſiderare. Hinc fit, ut tanta in vita illius varietas deprehendatur. Modo ſecedebat in deſertum inter feras non manducans, neque bibens; & fortaſſe nil quietis carpens. Modo cum hominibus verſabatur, manducans, & bibens ut illi. Diu viſus eſt in fabri lignarii taberna ſilentium ſervare, & obſcuram vitam ducere. Denique auditus eſt prædicare in Synagogis, & in publicis plateis populum erudire, & ſexcenta patrare miracula. Aliquando tamquam Dominus, & cum auctoritate agens, ejiciebat de Templo, qui illud in negotiationis domum convertebant; aliquando metum, & infirmitatem fugiens, atque in latebras ſeſe conjiciens, præſeferebat. Hæ omnes tam variæ agendi rationes perfectam propriæ voluntatis abnegationem, integerrimamque voluntati Patris ſui obedientiam referebant. *Idem.*

Tota ſanctitas, & perfectio Chriſtiana ſita eſt in Dei voluntate facienda.

Nemo putet, ut ſanctus ſit, illi faciendum eſſe quidquam, quod naturæ ordinem ſuperet. Fallitur, qui hoc ſentit. Faciendum eſt quod vult Deus, cum vult, & quomodo vult, ut quis Sanctus fiat. Omnes ſervi ſumus Patris familias; ſed ideo illi ſervimus, ut faciamus quidquid illi placuerit. Quis diu domi ſuæ famulum retineret, ſuam tantum, non herilem voluntatem facere volentem? Induſtris licet, fidelis, prudens hic eſſet, ejiceretur; quæritur enim docilis ſervus, & obediens. Quidquid ille operatur injuſſu, vel contra domini imperium, pro nihilo reputatur; hinc igitur argue omnem illius meritum, virtutemque conſiſtere in Dei voluntate facienda. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitationibus.*

Certiſſimum ſignum noſtri amoris erga Deum eſt illius voluntati acquieſcere in tribulationibus.

Conformitas cum Dei voluntate certiſſimum indicium eſt ad cognoſcendum, utrum illi fideliter eum reddamus amorem, quem illi debemus. Sed quam facile eſt in hac re falli? Plures ſibi perſuadent, a ſe Deum vere diligi, donec contenti ſunt Divina erga ſe ipſos providentia; & donec videtur ille obſequi eorum votis, ac deſideriis. Sed quantum facile tunc eſt voluntati ejus ſeſe accommodare, tantum amor, quo illum proſequimur, eſt anceps. Tentationis, adverſitatis, infirmitatum tempore Deus veros amicos ſuos agnoſcit; tunc enim difficile eſt naturæ ſilentium indicere, & efficere, ut obedienti, & æquo animo recipiat adverſa. Ita quotidie petimus, ut in nobis hæc fiat voluntas Dei, qua nos probare vult per tribulationes. Quæ enim Dei voluntas eſt, niſi ut ſanctificemur? At ad ſanctitatem acquirendam non alia via eſt, quam tribulationum. *P. Segneri in Meditationibus.*

In mundo nullam pacem ſolidam invenire poſſumus, niſi divinæ voluntati acquieſcamus.

Intereſt noſtra ſequi ſine ulla exceptione Divinæ providentiæ diſpoſitionem, quoniam requies noſtra pendet ab hac obedientia. Donec prava perturbatione conabimini Domini, vel ſuperiorum veſtrorum voluntati vim facere, ut eam ſtudiis deſideriiſque veſtris accommodetis, non aliud vos manet vivendi genus, niſi in anxietatibus, turbis, & ægritudinibus; ſed ſi e contra veſtram cum Dei, & eorum qui vobis præſunt, voluntate permutaveritis, ſi omnia conſilia veſtra conſiliis eorum fuerint conformia, ſi id unum volueritis quod illi volunt, quam primum imperturbabili ſuavitate, atque pace fruemini. Veritatem hanc Sanctus vir Job belle his verbis expreſſit. *Acquieſcere igitur ei, & habeto pacem. Idem.*

Jobi 22.

Jeſus Chriſtus invenit cibum ſuum in adimplenda Patris ſui voluntate.

Opus quod Jeſu Chriſto impoſitum fuerat a Patre, non eſt aliud, quam hominum ſalus: *Opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut facerem.* Media quæ illi erant præſcripta ut tantum hoc opus exequeretur, labores ſuos, itinera, prædicationem, mortem denique ſuam in Cruce ipſe Patris ſui voluntatem appellat: *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* Alacriter exequi Dei mandata ſive in adimplendo opere, quod nobis præſcripſit, ſive in electione mediorum, quæ illi connotavit, hic eſt cibus Jeſu Chriſti: *Cibus meus eſt ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam opus ejus.* Utrum corpus mortale, quo circumdatus erat, egeret craſſiori alimento, ipſe nobis declarat verum cibum ſuum omnino ſpiritualem eſſe, & ignotum mortalibus: *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis.* Felix anima, quæ ubi aſſecuta eſt omnem vim horum verborum Domini, in ſe reverſa novit inde naturalem elicere concluſionem, ut vitam ſuam diligat. Jeſus Chriſtus maximo perfunditur gaudio in facienda rebus in omnibus Patris ſui voluntate, qui ſibi adeo gravia impoſuit officia, & Chriſtianum non pudet ignaviæ ſuæ in Dei mandatis, qui facillima ſunt, obſervandis? *P. Segneri in Meditationibus.*

Joann. 17. *Pſalm. 39.* *Joann. 4.* *Ibidem.*

Adimplere Dei voluntatem nutrit, fortificat, perficit animam fidelem.

Submiſſio voluntati Dei animæ fideli idem eſt quod cibus corpori. Primum enim ſicuti cibus alit, & ſervat vitam corporis; ita obedientia legi Dei alit, & ſervat animam juſti in gratiæ vita, cum hoc diſcrimine, quod omnes curæ noſtræ prohibere non poſſunt interitum corporis noſtri, cum e contra divinæ voluntati obedientia vitam æternam animæ noſtræ procurat: *Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.* Secundo alimenta non ſolum conferunt ad corporis conſervationem, ſed illud confirmant, eique novas vires adjiciunt. Ita ſpiritualis eſca, quæ eſt exacta officiorum noſtrorum obſervantia, reddit animam alacriorem in viis mandatorum, cum hoc diſcrimine, quod epularum exceſſus corpus opprimit, illudque reddit oneroſius, *in multis eſcis erit infirmitas*; anima per aſſiduam legis praxim ſemper fit ad eamdem exequendam paratior. Denique alimenta præterquamquod

Joann. 6. *Eccli. 37.*

præterquamquod ſuſtinent, roborantque corpus, efficiunt etiam ut creſcat, donec naturalem ſuam adeptus fuerit magnitudinem: ita anima in ſingulos dies novam aliquam perfectionem acquirit; ſed cum corpus aliquando ad conſiſtentiæ perveniat ſtatum, anima aſſidue in viis Sanctitatis progreditur: *Sanctus ſanctificetur adhuc. Idem ibidem.*

Apoc. 22.

Submiſſio divinæ voluntati conſiſtit in obedientia mandatorum illius, & conformatione diſpoſitionibus providentiæ.

Fiat voluntas tua. Hæc petitio in compendium complectitur quidquid hominis ſanctitatem conſtituit. Humilitas enim, patientia, ſuavitas, charitas, ſenſuum mortificatio, caſtitas, omnes Chriſtianæ virtutes in paucis his verbis continentur. Ita licet a Patre Cœleſti unum dumtaxat petere videamur, vere ab illo petimus infinita. Profecto voluntas ejus eſt, ut omnes exerceamus virtutes, quemadmodum illas Sancti exercuerunt. *Hæc eſt voluntas Dei; ſanctificatio veſtra.* Cum modo omnem intelligatis horum verborum latitudinem, ac vim; *Fiat voluntas tua*; hæc jugiter in ore veſtro verſentur. Supplere poterunt ſexcentis aliis orationibus, quarum iteratio vobis aliquando difficilis eſt, & fere ſemper moleſta. Gratias agamus Jeſu Chriſto, cujus infinita ſapientia omnes petitiones noſtras ita paucis verbis complexus eſt, ut noſtrum quilibet haud ægre, & in ſingula momenta poſſit ſimul omnes Patri Cœleſti exhibere. *Fiat voluntas tua. P. Segneri, Meditationibus.*

1. Theſſ. 4. 3.

Cur Dei voluntas non ſemper fiat.

Dei voluntas per quam ille nobis ſua manifeſtat mandata, in illo ſigni tantum voluntas eſt, ac deſiderii: neque enim ſemper adimpletur, eique nos ſæpiſſime ad interitum noſtrum reſiſtimus: Dei voluntas per quam decrevit diſponere de nobis hoc modo potius, quam alio, in ipſo eſt voluntas beneplaciti, abſoluta voluntas, quæ ſemper adimpletur, quin aliquis illi adverſetur. Omnes voluntates meæ implebuntur. Proprie loquendo priori ex his voluntatibus obtemperamus; alteri vero noſmet conformamus. Illa quidem eſt materia obedientiæ noſtræ legi divinæ: hæc eſt materia noſtræ conformitatis iis omnibus, quæ de nobis facere velit Deus. Hanc autem obedientiam, perfectamque conformitatem a Deo petimus, cum dicimus: *Fiat voluntas tua.* Ullane oratio hac præſtantior, ſublimiorque invenitur? *Fiat voluntas tua.* Æquum eſt, ut omnia divinæ voluntati permittamus, quæcumque nobis in vita poſſunt contingere; & hoc pacto majorem Deo gloriam deferemus. Integrum hoc de nobiſmetipſis arbitrium, quod permittimus illi, ſatis declarat, quanta ſit noſtra in illo, in amore, poteſtate, bonitate, providentia, ſapientiaque illius confidentia. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Quam majorem hac gloriam a filiis ſuis Pater Cœleſtis recipere poteſt? *Idem.*

Conformitas voluntati Dei virtus eſt maxime generalis, & meritoria.

Conformitas voluntatis Dei virtus eſt maxime generalis pro omnibus vitæ hujus muneribus, & conditionibus: maxime univerſalis pro perſonis omnibus; maxime neceſſaria propter meritum, maxime frugifera propter Dei gloriam, maxime generalis pro omnibus vitæ hujus muneribus; reliquæ enim virtutes habent munera ſua ſeparata. Poteſt aliquis celeberrimus eſſe Evangelii præco, quin politicorum laude floreat. Poteſt quis optimus eſſe pœnitentiæ miniſter, quin habeat virtutes, quæ decent Magiſtratum; nullum vero vitæ hujus munus eſt, ubi divinæ legi conformitas non requiratur: maxime univerſalis eſt pro perſonis omnibus; ſummi, & imi, Principes, & ſubditi; divites, & pauperes, omnes in omnibus ſemet voluntati Divinæ debent conformare. Maxime neceſſaria eſt propter meritum; quia ſine hac nullum eſt meritum verum, & cum hac omnia fiunt meritoria. Uberrima eſt ad Dei gloriam; Deus enim omnem gloriam ſuam in hoc ſtatuit, ut voluntas ſua in omnibus rebus ab omnibus creaturis ſuis adimpleatur. *Auctor recens.*

Scientia præſtantiſſima eſt ſcire adimplere Dei voluntatem.

Qui didicit facere voluntatem Dei, ſcit, quidquid Chriſtianus ſcire poteſt. Superat ſcientia Philoſophos, ac Doctores præſtantiſſimos. Omnibus licet ſcientiis ornatus ſis, ſi neſcis Dei voluntatem adimplere, nihil ſcis. Diſce, hanc cognoſcere, & uno hoc ſcito, jam ſcis omnia. Perfectio non eſt in jejunio, in oratione, in corporis caſtigatione; Omnia quidem hæc ſancta ſunt, ubi fiant ſecundum ordinem Dei, & ſecundum illius voluntatem; aliter ſancta non ſunt. Ita proprie loquendo, omnis Chriſtiani perfectio eſt fideliter ſequi imperium Dei. Qui orat eo tempore, quo aliquid aliud ſibi faciendum eſt, ſancte non operatur, quia hoc eſt contra Dei voluntatem. Qui facit opera, quæ nullius eſſe momenti videntur, ſed illa facit ſecundum ordinem Dei, plus meretur illo, qui inſignia aggreditur opera, conſulens potius ingenium, affectuſque ſuos, quam Dei voluntatem. Si ergo ad ſublimem perfectionis gradum contendere volumus, abjiciamus omnino voluntatem amoremque proprium, interioremque oblectationem, qua fit, ut rebus in omnibus ea, quæ nobis ſapiuntur, amplectamur. Dei voluntatem omnino, ſemperque ſequamur. Voluntatem beneplaciti illius pro unico noſtræ adhæſionis argumento teneamus, atque tunc certe erimus in via perfectiorum. *Lambert in Tomo 7. Anni Evangelici.*

Excellens ratio ad perfectionis apicem aſcendendi, cum Divinæ Voluntati ſubjecti ſumus.

Quicumque ardenti flagrat deſiderio progrediendi in via ſpiritus, ac ſe retardari videt præſentis vitæ neceſſitatibus mortalis corporis ſui pondere; non aliam tutiorem habet viam, quam omnino ſeſe divinæ voluntati ſubjicere, & quidquid expetit Deus, adimplere cum conſtanti ſpiritus æqualitate, acquieſcendo imperiis ejuſdem, ſeſe generoſe tradendo divinæ illius providentiæ, nullo in diſcrimine habendo vitam, & mortem, atque terrena hæc omnia contemnendo. Si enim poſt hæc fidelis extiterit, Deoque placuerit ejus opera uti ad majorem nominis ſui gloriam, dicto citius, reparabit, quidquid pluribus annis corporis illius detrimenti infirmitas tulerit. Incredibile eſt quam brevi progrediatur anima per viam hanc illis inhoſpitam animabus, quæ carni adhærent. Una ex primis virtutibus, quam electæ huic animæ largitur Deus, eſt prudentia, quæ illam ſupernaturali quodam lumine illuſtrat, cujus ope diſtincte videt, quidquid ipſi evitandum ſit; idque longe perfectius quam ſol, ad cujus lucem omnia ſenſibilia videntur. Rerum multitudo, quas anima divino hoc lumine illuſtrata intus agnoſcit, major eſt quam quidquid in corporeæ naturæ extenſione continetur. Ita anima hæc adeo perfecte divinæ voluntati ſubjecta per ignotos cæteris gradus aſcendit ad intimam unionem cum Deo; ita ut videat univerſum hunc mundum tamquam in valle profunda poſitum; & nullam habere videatur partem cum objectis, quæ ſenſibus noſtris percipiuntur. *Auctor Recens.*

Dei voluntas eſt animæ Chriſtianæ fortitudo.

Animæ forti ſatis eſt ſcire, ſe videri a Deo, ſe eſſe in ordine ſuo, ſe illius voluntatem exequi. Hæc ſancta voluntas panis eſt, quo nutritur, ſuſtinetur, roboratur, eidemque omnia eſt. Hoc Dei Filius docere nos voluit, cum de ſe ipſo dicebat: *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem Patris mei.* Beati qui hoc pane veſcuntur, & quibus hic in deliciis eſt; hic enim panis nequit umquam illis deeſſe. Omnia creata illos deſerant; miſeriis, & morbis vexentur, onerentur probris, & contumeliis ab hominibus, ubique ſemper vident Dei voluntatem; ſibique perſuadent hanc juſtitiæ, & miſericordiæ pleniſſimam eſſe; & hoc illis eſt ſatis ſuperque. *Ex ſpeciminibus Ethicis.*

Submiſſio Sanctorum in Cœlo, voluntatibus Dei eſſe debet noſtræ ſubmiſſionis exemplar.

Quomodonam Dei mandata in Cœlo adimplentur? Angeli, nuntii Dei ſemper præſto ſunt, ut hac illac ad minimum divinæ voluntatis nutum pervolent: *Benedicite Domino omnes Angeli ejus potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem ſermonum ejus.* Cœleſtes hi ſpiritus obediunt alacriter, obediunt ad unguem; nec ſatis, obediunt mere, ut obediant, quemadmodum explicat eruditus interpres. Quænam in Angelis, beatiſque omnibus conformitas! Quæ conformitas mentis, & cordis cum Dei beneplacito! Faciunt quidquid Dominus vult; & ſemper ſunt præſto, ut quod Deus vult, & ipſi velint, & tamquam optimum factu credant. Hæc ſunt exemplaria ſecundum quæ noſmet componere debemus. Obedimus interdum celeriter, & diligenter; ſed propria utilitas noſtra ſæpe ſeſe huic immiſcet obedientiæ: Hoccine eſt obedire eo modo quo Angeli obediunt? Noſmet aliquando voluntati divinæ conformamus; at ſæpe vellemus, Deum aliud ab eo velle, quod vult: hoccine eſt ſeſe divinæ conformare voluntati, quod faciunt omnes in Cœlo beati? Quod Deus vult, ita volunt, ut ſi optio illis permitteretur, utrum Deus voluntatem mutaret, nec ne; nullum in re hac deſiderium haberent. Voluntas eorum adeo in Domini voluntatem tranſiit, ut non ſit amplius niſi una. *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt. P. Segneri in Meditationibus.*

Pſal. 102. *1. Cor. 6. 17.*

Beati omnes in Cœlo æque Dei faciunt voluntatem.

Quæcumque ſit inter beatos inæqualitas ratione diverſi gradus gloriæ, omnia tamen inter ipſos æqualia ſunt per conformitatem cum Dei beneplacito. Tamquam filii, qui infinita charitate parentem ſuum complectuntur, non aliam ab eo hæreditatis partem requirunt præter eam, quam ante omnia ſæcula deſtinavit illis; illi pares non ſunt, qui ne tale quidem deſiderium concipiant. Hæc modo nos non intelligimus; hic enim in terris natura prævalet gratiæ. Non poteſt cupere Deus, ſe aliud voluiſſe ab unoquoque Beatorum, quam quod voluit ab initio; & ita Beatis omnibus unum dumtaxat conſtituentibus ſpiritum cum Deo, nemo eorum aliud optare poteſt, quam quod voluit Deus. In hoc igitur quodammodo totus vertitur cardo Cœleſtis Beatitatis: *Fiat voluntas tua.* Quemadmodum infernus talis eſſe ceſſaret, ſi inde eliminari poſſet propria voluntas: ita Paradiſus talis eſſe ceſſaret, ſi illuc propriæ voluntati aditus pateret. Pax tranquil-

quilla, quæ Cœlum facit beatum, ibi non regnaret, ſi alia voluntas præter Dei voluntatem ibi reperiretur. Cur ego cor noſtrum, quod hic in terris noſtram requiem ac Paradiſum facere poſſet, efficit noſtrum ſupplicium, atque infernum? Quia propria voluntas dominatur in nobis. *P. Segneri in Meditationibus.*

OCCASIO.

Fuga occaſionum Peccati, occaſio proxima, & Remota.

MONITUM.

De occaſionum peccati fuga ſermo incidit pluribus aliis in argumentis, cum quibus hoc non rationem habet ſolum, verum etiam quorum partem conſtituit. Tale argumentum eſt tentationum, quandoquidem potiſſima earum evitandarum ratio eſt fugere occaſionem; & tutiſſima earum, ſaltem majori ex parte, ſuperandarum via eſt, quam celerius fieri poteſt, recedere ab illis objectis, quæ eaſdem ſolent excitare. Id genus eſt etiam recidiva in ſcelus; hæc enim non efficax tantum, verum omnino neceſſaria via eſt, ne iterum in priſtina ruamus ſcelera, noſmet eorum occaſioni nequaquam objicere. Hoc ipſum dici poteſt de perſeverantia in gratia, de pravarum ſodalitatum frequentia, de fuga ſpectaculorum, de periculoſis ſolatiis, pluribuſque id genus argumentis, de quibus vel locuti ſumus, vel propriis locis loquemur. Quamobrem in proximarum occaſionum enumeratione illi conſuli poterunt, hoc enim in loco agimus tantum de occaſione peccati generatim, quin ad aliquam peculiariter deſcendamus.

In hac collectione invenietur periculum, cui ſeſe objicit, qui has occaſiones inquirit; vel qui ab illis non recedit, cum in illas non quæſitas labitur: rationes, propter quas eas fugere, & ab illis recedere cogimur: ficti prætextus, qui afferuntur ad probandam aſſertam neceſſitatem in illis verſandi, & vincula, quæ non ſinunt nos illinc evadere. Videbuntur conquiſitarum occaſionum exitus funeſti, & uſitati; reperietur denique, quidquid pertinet ad hoc argumentum, quatenus ſejunctum ab aliis, cum quibus nexum habet, ſeorſim poſſit pertractari.

Cavendum eſt ſolum, ne nimis proferatur hoc argumentum generales afferendo deciſiones, vel in omnibus proximam occaſionem cenſendo eam, quæ in aliquibus remota ſolum eſt. Sed omnes hortandi ſunt, ut ſibi caveant, ſummaque utantur diligentia, ne quæ remota occaſio eſt, proxima fiat.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum hujus Argumenti Synopſis.

I. Occaſio alia peccatum eſt, alia ad peccatum adducit; quæ duo rite diſtinguendæ ſunt. Altera quidem omnino fugiendæ eſt; contra alteram quam maxima utendum eſt vigilantia. Hoc duplici in parte concionis oſtendi poteſt.

1. Occaſio, quæ peccatum eſt, videlicet ubi peccatum committit; qui ſeſe objicit illi, licet etiam non committeret peccatum illud, cui ſeſe exponit in illam occaſionem incurrens, ea eſt, quæ proxima dicitur, ac talis cenſenda eſt, non quod nos in peccatum pertrahere valeat, ſed propter noſtram experientiam, qua docti ſcimus, quotieſcumque in illa verſamur, eaque ſeſe nobis offert, nos in ſcelus ruere. 1. Alea, choreæ, hilares nimium ſodalitates, quibus noſtra conſcientia exproblante ſcimus numquam nos adfuiſſe, quin vulnus aliquod reciperemus. 2. Propter noſtram infirmitatem, affectiones, ſtudia, ibi periculum eſſe videmus; ætas, ingeniumque noſtrum facile patent iis impremiſſionibus, quas objecta illa in nobis efficere poſſunt. 3. Hæ debent eſſe occaſiones illæ, quibus noſmet ultro objicimus, quas data opera inq[illegible], non quas nobis ſors objicit, & in quas incidimus, quin illas prævidere potuerimus: quia tunc peccatum eſſe non poſſunt, ubi voluntariæ non ſunt. Itaque ut occaſio ſit proxima; utque eidem ſe objicere culpa ſit; illa debet eſſe periculoſa ultro quæſita, atque in ea ultro perſiſtendum eſt, ex quo ejus deprehenſum fuerit periculum.

Hac in re tres metuendæ ſunt illuſiones. Prima; credimus illam ultro nequaquam a nobis inquiri, & nihilominus voluntaria eſt; quia cum iis conſueſcimus, quibus noſmet credere non deberemus; ea obimus loca, ubi ſcimus non defutura objecta, quæ nos ad peccandum allicient; non ignoramus ſodalitates, quibus utimur, ex hominibus frugi nequaquam eſſe compoſitas, futurumque ut ſenſim in mores eorum tranſeamus. Illuſio altera: putamus occaſiones has periculo vacare, cum minime vacent. Societates illæ, ubi non deeſt, quidquid in mundo nitet, quidquid ſenſus palpare poteſt, quidquid affectum inflammare, vel ſopitum iterum excitare valet &c. Tertia, putamus illas nobis periculoſas non fore, quia noſmetipſos non cognoſcimus, neque noſmet colligimus; quo ex loco potiſſimum metuendum eſt, & occaſio fit proxima. Quid! in voluptates proni eſtis, & proximas non eſſe occaſiones cenſebitis receſſus, ubi ſolus cum ſola colloquatur, familiares perſonarum ſexus diverſi conſuetudines, neceſſitudines, hilaritates? Quid! auri amore capti proximam nequaquam eſſe occaſionem putabitis officium illud quæſtuoſum, ubi publicæ pecuniæ vobis erunt exigendæ? Vos, qui ad iracundiam faciles eſtis, & ultionis cupidi cum contentioſis habere commercia &c.

Pars altera. Altera occaſio eſt, quæ peccatum quidem non eſt, ſed nihilominus eſt occaſio peccati: ſemper enim aliqua eſt ſaltem remota offenſionis, quæ contra Deum committitur, cauſa, & abſtrahendo ſine ne ille proximæ, an remotæ occaſiones, voluntariæ, an ſecus, ſatis eſt periculoſas eſſe, ut ab illis recedere teneamur, ubi earum periculum intelligimus. Exempli gratia munus illud aggrederis, quod tibi ſæpe occaſionem præbet iraſcendi, vel religionis tuæ officia non perſolvendi. Occaſio hæc neque conquiſita, neque proxima eſt; eſt tamen periculoſa, ac ſatis, ut eam fugere, atque recedere tenearis ab officio, ſocietate, domo, ubi frequentes habes Deum lædendi, modo hac, modo illa ratione occaſiones: ideo nihil tibi prætermittendum eſt, ut ex hac occaſione egrediaris. 1. Quod magis adhuc neceſſarium eſſet, ſi hæc occaſio, in quam inſcius incidiſti, eſſet proxima; tunc enim, licet in illam incidens non peccaſſes, permanens in eadem peccares. At enim hinc inferendum eſſet, omnibus hominum generibus mundum eſſe relinquendum, ac ſolitariam vitam ducendam. Hoc quidem tutiſſimum eſſet; ſed hanc a nobis perfectionem non exigit Deus; niſi tamen aliter ſaluti tuæ conſulere vales; & hæc tantum via eſt, qua peccatum evitare poſſis, hæc neceſſario tibi eſſet ingredienda. 2. Saltem in remotis hujuſmodi occaſionibus vigilantia, ac diligentia utendum eſt contra pericula, quibus tua te objicit conditio, evitandæ tibi ſunt lites, contentiones, fugienda pericula, quibus te tuus objicit ſexus, licentia &c. Cujuſcumque conditionis vel profeſſionis exiſtas, pericula evitare debes, quæ ipſe tua doctus experientia cognoſces, & niſi tibi ſtatum mutare licet, ac neceſſitas in eo te permanere cogit, contra has occaſiones tibi quam diligentiſſime præcavendum eſt. 3. Denique ſi nequis evitare pericula, & occaſiones, quia inſolubilibus vinculis adſtringeris, fidem tuam Deo teſtari debes, & hujuſmodi occaſiones ſpectare tamquam patientiæ tuæ pericula, quæ facit Deus &c.

Cum

II. Cum duplex ſit occaſionis genus, & altera remota ſit, altera proxima, ita duplicem ſtatuo propoſitionem. Prior eſt; remota occaſio, cum voluntaria eſt, quantum fieri poteſt, eſt evitanda. Poſterior, quamprimum ex proxima occaſione egrediendum eſt, quamvis non ultro in illam incidimus.

1. Ipſa etiam occaſio remota evitanda eſt, cum neceſſario in eadem verſari debeamus propter conditionem ſtatus, in quo Deus naſci nos voluit, & in quo nos providentia conſtituit; alioquin peribimus. In ordine providentiæ Deus nobis ſuum ſpopondit auxilium in iis periculis, quæ ipſi nequaquam quæſivimus, non autem in illis, quibus noſmetipſos objecimus. Sæpe gratias obtinemus ad id, ut evitemus occaſionem. Deus fidem ſuam præſtet, quandoquidem pollicitus eſt ſe nobis auxilium allaturum in periculis, quæ ſeſe nobis obtulerint, vel in quæ ipſe nos adduxerit; promiſſi fidem ſolvet; verum cum ſpoponderit etiam ſe nos derelicturum, cum temere noſmet periculis objiciemus, hac quoque in re ſolvet fidem: utrumque enim portendit: *Fidelis Deus &c.* 2. De occaſione proxima ſingillatim. Poſtquam explicitum fuerit, quid ſit, dicendum eſt, eam omnino eſſe deferendam, & ne id faciamus, ſola rei impoſſibilitate excuſari nos poſſe. Quod ſi dixeris, nequaquam licere ſtatum, ubi es, deſerere; tunc ajo, hac impoſſibilitate rei naturam mutari, atque illius ſuperandæ gratiam te aſſecuturum, dummodo ad id omnes nervos intendas. Sin autem potes neceſſitudinem cum hac vel illa infringere, & ex occaſione emergere, tunc teneris. Hic explicanda ſunt Salvatoris verba: *Si oculus tuus ſcandalizat te, ſi pes, ſi manus &c.* Matth. 5. & Marc. 9. Hæc varia ſunt occaſionum genera; aliæ circa nos ſunt, alias ipſi inquirimus, alias nos ipſi nobis facimus.

III. Qui peccati occaſionem quærit, paſſim peccat. Veritatis hujus probationes ex tribus rebus deſumo.

1. Ex infirmitate occaſionem quærentis: ideo prohibuit Deus occaſionem peccati, non ſecus ac ipſum peccatum, & vult in oratione dominicali ab ipſo petamus, ne permittat, ut noſmet tentationi objiciamus.

2. Ex vi, quam in nos habent inimici noſtri. Cum noſmet objicimus occaſioni, jam prævalent nobis; & nos jam ſemivicti ſumus affectu illo, propter quem noſmet objicimus.

3. Ex juſtitia Dei deſerentis eum, qui occaſionem inquirit. *Ex ſpeciminibus ſermonum pro Quadrageſima tomo 3.*

IV. Chriſtiana vigilantia neceſſaria eſt ad periculoſas occaſiones ſeu proximas, ſeu remotas evitandas, & ne ultro noſmet illis exponamus. 2. Vis, & fortitudo requiritur, ut inde egrediamur, cum illas nil tale opinantes offendimus. Quæ ſi vigilantia, & fortitudo defuerint, peribimus, hoc eſt certiſſime peccabimus.

V. 1. Deus numquam præſidium ſuum aufert nobis in iis occaſionibus, & peccandi periculis, quæ illius providentia diſponente, vel ipſo jubente, ſubibimus; hoc ille palam pollicitus eſt: *Fidelis Deus, qui non patietur tentari vos ſupra id quod poteſtis.* 2. Deus certiſſime noſmet ipſis, viribuſque noſtris nos tradet in iis occaſionibus, quas ipſi quæſiverimus, vel in quas noſmet temere conjecerimus.

VI. 1. Occaſio peccati ſemper eſt periculoſa, tunc etiam cum illam neque providimus, neque quæſivimus, ſed multo magis, cum noſmet eidem objicimus & periculi magnitudinem, & noſtram ſcientes infirmitatem; atque ſeſe ita illi objicere, noxa eſt, 2. Nullus nos cogit prætextus, ut ultro occaſiones quæramus, & nulla noſmet diſpenſare poteſt excuſatio, ne inde egrediamur, ſtatim ac & periculum agnoſcimus, & egredi licet.

VII. 1. Magna præſumptio eſt, ſeſe ultro peccati occaſionibus exponere: meremur a Deo noſmet nobis derelinqui, ut propria experientia docti noſmet agnoſcamus, neque alias adeo ſimus temerarii. 2. Extrema imprudentia eſt velle permanere in occaſione, ubi illius periculum agnovimus, in quod per negligentiam offendimus; hoc enim eſt ſuum amare periculum.

VIII. 1. Seſe ultro peccati occaſionibus objicere, indicio eſt peccari velle, peccatum in odio non haberi; Dei timorem abiiſſe, conſcientiæ ſtimulos ſuffocatos eſſe. 2. In peccati occaſione permanere, cum relinqui poteſt, eſt in cæcitatem decidere, malum, in quo ſumus, & illud, cui nos objicimus, æternum pereundi ignorare.

IX. Homines fragiles ſunt, equidem ſcio: labendi in peccatum pericula præſentia ſunt; non deſunt effuſi in toto mundo, in ſtatibus, & conditionibus omnibus laquei; hoc mihi ſatis, ſuperque liquet. Hinc plures inferunt, ſe in criminibus ſuis eſſe excuſabiles: quæ concluſio, vel excuſatio legitima non eſt: quamvis enim periculis obnoxius, & fragilis es, validiſſimum habes contra tuam fragilitatem remedium, quo periculum evitare poſſis, fugam videlicet occaſionum.

1. Juſtus es? fuge occaſionem, & ſemper fortis eris. 2. Peccator es? fuge occaſionem, tuaque ceſſabit infirmitas. Juſti, cavete, ne veſtras atteratis vires occaſiones quærendo: Peccatores, cavete, ne veſtram augeatis infirmitatem occaſionibus voſmet objiciendo. Si in gratiæ ſtatu eſtis; occaſio vos inde deturbabit: hæc prima pars eſt; ſin autem in ſtatu peccati; prohibebit occaſio, ne inde conſurgatis; hæc pars altera, & concionis partitio.

Tres varias occaſionum ſpecies deprehendo. Quædam remotæ ſunt, ſed inevitabiles, & neceſſariæ. Quædam proximæ, ſed liberæ, & voluntariæ. Quædam mere inopinatæ, & fortuitæ, in quibus noſmet reperimus fortuito, & quin ad id animum adverterimus. Primæ ſunt tentationes, quas in qualibet conditione evitare non poſſumus; inviſibiles laquei, quos ubique diabolus poſuit, ut nos in peccatum pertraheret. Voluntariæ occaſiones illæ ſunt, quas ipſi inquirimus, & quibus libere, & conſulto noſmet ſcientes, & volentes objicimus, quamvis propria docti experientia earum periculum agnoverimus. Poſtremæ tandem illæ ſunt, quæ ſeſe nobis fortuito offerunt, & quibus ipſi nihil cauſæ præbuimus. Quid ergo triplici hac in occaſione Chriſtiano faciendum eſt: X.

1. Primis, quæ ſuo adhærent ſtatui, quamvis procul videatur a Dei lædendi periculo, fidere non debet. 2. Secundas, quæ ſunt proximæ, & voluntariæ, & a quibus ſæpe lethalia recepit vulnera, omnino relinquere debet, quin ulla ratio, vel neceſſitatis, vel utilitatis illum impellat, ut ibi permaneat, vel eo revertatur. 3. Poſtremis opponere debet jugem ſolertiam, & vigilantiam.

1. Peccati occaſiones quærere eſt inimicis ſuis maximas vires præbere. 2. Se ipſum infirmare, vireſque ſuas mirum in modum minuere. 3. Se ipſum fraudare auxilio, quod a Deo poterat expectari. *Ex Dictionario morali.* XI.

1. Occaſiones peccati conquirere, vel in illis morari, ubi earum periculum deprehenſum fuit, eſt injuriam facere providentiæ: 2. Dei miſericordiam recuſare, & abjicere, eique inſultare: 3. juſtitiam ejus provocare. *Idem.* XII.

Duæ validæ rationes, Sanctus Thomas ait, nos cogunt, ut inceſſanter peccati occaſionem fugiamus. XIII.

Prima eſt, quia ſatis virium non habemus, ut reſiſtamus illecebris peccati, quas nobis offert occaſio.

Altera eſt, quia licet vires, atque conſtantiam noſtram aliquando fuiſſemus experti, nequaquam certi eſſe poſſumus nos ſemper æque fortes futuros, ut minime ſuperemur: nimis enim funeſta docti experientia didicimus, nos in occaſione ſemper infirmos eſſe. *Ex ſpeciminibus ſermonum.*

Duo principia concurrere debent in victoria, quam de peccato reportamus, atque in noſtra ſanctificatione; Dei videlicet gratia, & nos ipſi. Opus eſt, ut Deus nobis opituletur, utque noſmet ipſos tueamur; at, ſi ultro noſmet occaſionibus objecerimus. XIV.

1. Deus nobis renuet auxilium: 2. noſmetipſi nos tueri non poterimus, ideoque certiſſime ſuperabimur. *Bircat ſermone pro feria tertia poſt quintam Quadrageſimæ Dominicam.*

1. Ut vera, ſinceraque converſio fiat, omnino relinquenda eſt occaſio peccati, alioquin pœnitentia noſtra fallax eſt, & illuſoria. 2. Ut gratia ſervetur, & in ea perſeveretur, vera, & efficax ratio eſt a peccati occaſione recedere. XV.

1. Quicumque ultro ſeſe objicit occaſioni peccati, nullum a Deo expectare poteſt ſubſidium; Illius enim monita, minaſque aſpernatus, auxilio ejuſdem ſe præbet indignum. 2. Temerarius, qui hoc pacto in occaſionem ſe conjicit, omnia a ſemetipſo debet metuere, quia numquam infirmior eſt, quam in hujuſmodi occaſionibus. *Auctor ſermonum in omnia Ethica Chriſtiana argumenta in Dominicali, ſermone pro Dominica Quadrageſimæ.* XVI.

Si manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & projice abs te. 1. Dico primum, hæc Salvatoris verba explicitum continere præceptum ab omni peccati occaſione recedendi. 2. Nobis oſtendunt quouſque procedere debeat vis, quam nobiſmet debemus inferre, cum agitur de fugiendis funeſtis occaſionibus, quæ nos ad peccatum impellunt. 3. Explicant fortes, validaſque rationes, propter quas Dei Filius ſalutarem legem hanc irrogavit. *Lambert, homilia in diem feſtum Sancti Michaelis.* XVII.

1. Juſtus in occaſionibus fit peccator, niſi quamprimum inde egrediatur. 2. Peccator impœnitens fit, & in peccato obſtinatus, niſi occaſionem relinquat. 3. XVIII.

Qui